


CASPARIS PEZOLDI
Poliatri Vratislavienſis
OBSERVATIONES MEDICO-CHIRURGICÆ SELECTIORES.

VRATISLAVIÆ,
Proſtant apud MICH. HUBERTUM.
A. 1715.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUod ſanitate mentis & corporis præcipua humanæ felicitatis pars contineatur, ut nemo inficiaturus eſt, niſi qui ſanam mentem abjecerit, ita ſtudium illud, quod tuendæ ſanitati, ne lædatur, & reparandæ, ſi læſa fuerit, impenditur, ſicuti maxime laudandum, ita ob inſignisſimam, quæ in genus humanum exinde redundat utilitatem, quâvis induſtria excolendum & perficiendum fuerit. Quia vero â ſapientisſimis viris deprehenſum eſt, ad latifundium artis (quæ tam vaſta & lata eſt, ut ipſius ſapientisſimi *Hippocratis* judicio *longa* audiat, & is ipſe de ſe confiteri

cogatur, *se quamvis senem, nondum tamen ad finem medicinæ perveniſſe)* exhaurien-dum, ſalutaremque artem perficien-dam, nil æque magis congruum & adæ-quatum eſſe, quam, ſi partim præcipua, imò ex *Baglivii* ſententia, *omnia etiam mi-nima & vilia viſa ſymptomata* accuratè de-ſcribantur, partim filum curationis, & quæ vel profuiſſe, vel nocuiſſe medicus obſervaverat, fideliter delineantur & re-cenſeantur. Hinc factum eſt, ut tot præclari viri obſervationibus ſuis me-dicis edendis tantum induſtriæ inſum-ſerint, commendaverintque ſeduló, ut medici in magnâ praxi conſtituti, noſo-dochiisque præfecti fideli diligentiâ rem medicam amplius augerent & perfice-rent. Horum monitis & exemplis ego motus, quanquam tantorum virorum ingenium, eruditionem, ſtylique fa-cundiam (mediocritatis quippe meæ mihi probè conſcius) parum aſſequar, tamen credidi non ſine omni fructu fu-turum, ſi obſervationes aliquot medi-co-chirurgicas in rempublicam medi-cam conferrem: reputans ſi non pra-cticis veteranis arrideant, certè juniori-

bus

bus & tyronibus aliquo uſui futuras. Ut igitur opellæ hujus aliqua ratio conſtet, adnotata in iis B. L. videbit, rariora quorundam morborum phænomena, conſignatas leget difficiliorum nonnullorum affectuum qua pharmacis, qua chirurgicâ manu inſtitutas therapias, quas ut fide conſtanti aliquando brevius, aliquando longius enarro, ita ſemper nullius addictus jurare in verba magiſtri medicamenta quædam ſubinde aliis mutavi, ratus, omnia probanda eſſe, & ut ſit amicus *Plato*, amicus *Socrates*, magis tamen cuivis debeat eſſe veritas. A varietate & multitudine medicamentorum abſtinui, perſuaſus, pauca eſſe, quæ medicum nobilitant, ſique per pauca & quidem certius ſcopus obtineri poſſit, ſtolidum eſſe, (niſi forte ægri delicato genio aliquando cedendum ſit) illum per plura laborioſè quidem & cum majoribus ægrorum ſumtibus, at non æque certè attingere ſtudere. Sanè quantum momenti pro ſanatione morbotum ſitum ſit in prudenti medicamentorum continuatione, in ægris præſertim apud A. A.

R.R. F.F. Misericordiæ decumbentibus deprehendi. His enim sicut sub directione A.R. DN. P. Clementis Mentzel Vicarii Conventus A.A. R.R.F.F. Vratislaviæ munere suo pari fide & prudentiâ fungentis, diligentiaque A.R. Dn. Fr. Burcardi Streubel officinæ pharmacevticæ præfecti, ac dexteritate peritiâque insigni pollentis A.R. Dn. Fr. Cosmæ Armbruster / omnia quibus ex fonte diætetico, pharmacevtico, & chirurgico egent sufficienter subministrantur & adhibentur, ita ab inutili, modo non noxia varietate tot medicamentorum bonis ipsorum cum rebus salutariter abarcentur. Quo loco non possum non commendare, ut medici tum alii, tum qui ægris laudatissimi ordinis A. A. R. R. F. F. Misericordiæ prospiciunt, meum exemplum secuti, id quod ego parum feliciter assecutus sum, ipsi majori ingenio, curatiorique industriâ penitius perficiant. Sanè intimè in sinu gaudebo, si leviculus meus labor incitamentum extiterit magnis bonisque viris, ut quæ suâ industriâ paraverint, in commodum rei medicæ elargiantur.


tur. Cæterum dum ſectiones morbis demortuorum non minimum quoque artem medicam promoveant, celeberrimorumque virorum vota, conſilia, & conatus hâc in re passim laudanda occurrant, inprimis etiam medicos noſodochiis A. A. R. R. F. F. Miſericordiæ præfectos (quod his præ aliis hæc εὐτυχία cadavera cum libuerit ſcrutandi contingat) exoratum volo, quo laboris faſtidium non ſubterfugientes, ad vivorum utilitatem extiſpicia crebra morbis demortuorum inſtituant, quæque tunc compererint, publico non invideant. Ut ſtylum meum rudem multis exculpem, vix videor ratione aliqua grandi urgeri; quanquam enim non is ſum, qui contemptâ elegantiâ ſtyli unicè rebus ſtudeam, (ſiquidem hæ non doceri, ſaltem non æquè gratè aliis tradi poſſunt, niſi nitore ſtyli quaſi condiantur) tamen quia ab exercitio latinæ linguæ deſuefactis facile aliquid ſtribliginis, & quod puræ latinitati adverſum ſit adhæreſcere posſit, benevoli lectoris gratiam (quâ defectus ſtyli condonatos volo)

eo

eò libentitius mihi promitto, quod is ſine dubio mecum fatebitur, majorem debere eſſe curam rerum, quam verborum. Illos in fine non moror, qui naſo etiam omnia ſæpe ſuſpendere adunco ſueti ſunt; ut enim judice Magno *Hippocrate lib. 1. de diæta* §. 1. *immerito aliquis reprehenditur, quod invenire non potuerit, imo laudandi potius omnes ſint, quod inveſtigare conati ſunt, optimus enim* ejusdem judicio *eſt medicus minimum delinquens*, ita talibus cenſorio typho inflatis, prurigineque taxandi laborantibus illud in calce præfationis ipſorum auribus inſurratum volo, non tam dum meam tenuem opellam mordaci ſua cenſurâ fortasſis perſtringent, ſed quod ſcriptis etiam cedro auroque dignisſimis parcere non deſinunt

ῥᾷον μὲν μωμεῖσθαι, χαλεπὸν δὲ μιμεῖσθαι.

I. N. J.



I. N. J.

CASPARIS PEZOLDI,

POLIATRI VRATISLAVIENSIS,

OBSERVATIONES ET CURATIONES MEDICO-CHIRURGICÆ SELECTIORES.

OBSERVATIO I.

Febris quotidiana duplex variolis innoxiè juncta.



Rigus variolis admissum funestam iisdem μετάςασιν ordinariè causari, notius est quàm ut exemplis indigeat. Ast quod â Causâ internâ horror iis innoxiè complicetur, res est non quotidianæ observationis. Accidit hoc rarum phænomenum sub finem Decembr. A. 1692. filiolo nostratis sartoris 7. annorum, variolis cohærentibus laboranti impunè. Siquidem quamvis hic ipse â die morbi quinto ad decimum inclusivè, ita bis quotidiè, per quadrantem horæ stato tempore horrore concuteretur, ut dentibus stride-

ret, æſtuque poſtea corpus, & facies rubore ſuffunderetur, noxa tamen exinde nulla deſpumationis varioloſæ negotio accreſcebat, quin puer ac ſi citra hoc metuendum ſymptoma morbus decurriſſet, feliciter variolis defungebatur. Pariter A. 1711. Menſe Martio in generoſi Equitis filio 8. annorum Variolis diſcretis laborante â primo eruptionis die per quinque ex ordine dies quotidiè circa veſperam frigus, ſubſequo æſtu deliriis interſtincto per totam noctem durante, obſervavi. Interim itidem ſalutariter morbo defungebatur.

Observatio II.

Paralyſis ſcorbutica purpurâ ſolutâ.

VIr temperamenti ſanguineo-phlegmatici, habitus carnoſi, 32. annorum, in Zythopolio ſubterraneo illuſtris noſtri ſenatus muneri ſuo quotidiè fungens, poſtquam ſtrenuum potatorem egiſſet, in Oenopoliis quidem vini Hungarici, in officinis verò Pharmacevticis ▽ phyſogonarum aliarumq; Spirituoſarum, concurrente ſimul voracitate iræq; non rarò œſtro, initio in dolores nephriticos colicosque, ipſumque renum calculum incidebat, quos affectus deinde, prægreſſo prius per vices linguæ quodam torpore, die 14. April.

April. 1692. noctu subita brachii & femoris dextri ad motum impotentia cùm aphoniâ primum, dein loquelâ difficiliori excipiebat. Proinde ad Diætam prægressam liventemque faciem respiciens post venæ sectionem in brachio sinistro celebratam (â quâ per bihorium pessimè degebat) internè propinabam (1) Liquor. cephalic. Wedel. (2) pulv. cachect. Wed. cinnabarin. sassaphrat. externè verò vertici, temporibus & linguæ ▽ Apoplect. Spir. sal. armoniac. & oleum spic. roboratum, sicut nuchæ, Spinæ dorsi & partibus paralyticis unguent. Nervin. c. pingv. Castor. Oleum Zetr. alb. rut. spic. succ. administrabam, eo cum effectu, ut d. 15. vitium in loquela amplius vix sentiretur, femurque flectere, eidemque insistere valeret, licet brachium (ut semper solet difficilius & tardiùs quàm femur restitui) torpidius adhuc remaneret, persistente etiam circa frontem livido rubore. Igitur ut porrò tonum nervorum blandè roborarem, lymphæque novum Characterem imprimerem, Spec. pro infuso theiformi, ex rad. helen. chin. sarsæp. trifol. fibr. herb. rosmar. salv. meliss. majoran. flor. anth. til. stœchad. arab. ras. l. saffaf. cubeb. cardamom. cinn. costo vero, sem. coriand. ordinabam, quibus d. 17. quod in somnum pronior esset, spir. sal. armoniac. additâ essent. castor. succ. maritabam, his efficiebatur ut hodiè primùm ma-

 nus

nus aliquatenus cibo ori ingerendo ſufficeret, quæ prævio pruritu purpurâ per totum d. 18. erumpente multò validius moveri ipſeq; æger ambulare paulò poterat. Proinde in uſu dictorum, quibus eſſent. lignor. ultimò accedebat, pergens, plenè ægrum reſtitui. Interim quia inordinatam ſuam plenam & ebriam diætam emendare nollet, d. 4. Sept. 1693. poſt perceptam manè titillationem in digitis veſperi in cellâ cereviſiaria ἄφωνος concidens fruſtrà adhibitâ veneſæctione, clyſmate, aliisque congruis remediis noctis hora XI.mâ ſub epilepticis motibus mortem obibat.

Observatio III.

Error Pharmacopœi puero verminoſo ſalubris.

SOlet aliquando fieri, ut ægrum, quem conſilium non reſtituit, caſus â morbo abſolvat, pariter & error Pharmacopœi aliquando in ſalutem ægri vertitur. Commitebatur talis error Anno 1693. ſalutariter, cùm puero 3. annorum lumbricis, cùm ſiti, pruritu narium, tumore abdominis, atrophiâ, & ⊡ ſedimento albo mucido, laboranti, poſt fruſtrà datam ℞ ♂ cydon. ℞ violar. & pulverem laxativ. vegetabilem, pulvis ex ſem. ſanton. ℈j. rhabarb. corallin. ā ℈ß. ☿ dulc. gr. VI. in 6. doſes dividendas eâ quantitate pro 6. præ-

biis

biis oscitantiâ Pharmacopœi pararetur, inde enim effectum est, ut post datas priores duas doses nimiâ mole obrutus ventriculus ad vomitum concitaretur, quatuorque ingentes lumbrici per inferius guttur excluderentur, quos frustrà deinde deprehenso errore pulveribus dictis granorum viij. jam pondere datis sollicitabam, donec repetitis prioribus medicamentis, quibus arcanum ♀ri. arcanum dupl. ▽ c. ☿ viv. decoctam sociabam, id impetrarem, ut post deturbatam fœdam saburram intra 4. septimanas 38. magni lumbrici expellerentur, ortâque postea septimanæ unius intervallo purpurâ, alacritas animo, & corpori nutritio rediret. Cernere ex hoc casu licet, nos sæpe medicamentorum sufficiente successu destitui, quod nimis parcâ dosi subinde eadem porrigimus. Sed quis medicus tam accuratam semper dosin conjecerit, ut nec nimietate ejus excedat, nec parcitate deficiat. Sumus nimirum homines. conf. de erroribus in medicinâ quandoque salutaribus *Decur. II. Miscellan. Natur. Curios. A. VII. Obs. 216.*

OBSERVATIO IV.

Tertiana spasmodica.

QUantopere nonnunquam febres tertianæ ferociant, anxietates indicibiles, li-

pothymias, ſpaſmos artuum, & epilepſiam ipſam (ne alia gravia ſymptomata laudemus) producendo, norunt medicinæ clinicæ operantes. Talem, & quidem vernalem, etiam ſentiebat Zythopola quidam noſtras A. 1694. Hic temperamento & habitu melancholico præditus tanto horrore per 2. horas de paroxyſmo in paroxyſmum invaleſcente quatiebatur, ut non ſolùm ſub illo particulam dentis demorderet, ſed etiam ab uxore quamvis detentus epilepticorum more in altum jactaretur; aderant ſimul anxietates magnæ præcordiales, lancinationesque, imò contorſiones artuum ſpaſmodicæ. Urinæ, ut ſcorbuticorum teſte *Eugaleno* & experientiâ ſolent, variæ erant. Succurrebam quidem ægro congruis medicamentis, artusque imprimis pedilaviis ex lixivio ante paroxyſmum â tortura dolorificorum ſpaſmorum liberabantur, interim ob variabilem vulgi genium therapiam meam tandem faſtidiens ægrè poſt 3. menſes convaluit, mihi poſtea confeſſus lancinationes & ſpaſmos artuum denuò rediiſſe.

OBSER-

OBSERVATIO V.

Maculæ ſanguineæ per totum corpus efflorescentes poſt hæmorrhagiam ſubitò adſtrictam, eâdemque recurrente ſtatim iterum ceſſantes.

QUàm periculosè adſtringentibus hæmorrhagiæ maturius ſiſtantur, & experientia loquitur, & pluribus celeberrimus Stahlius in diſſert. de adſtringentium uſu oſtendit. Idem quoque præſens obſervatio declarabit. A. 1694. d. 19. Sept. piſcator in pago Alt-Scheutnich / 35. an. habitus macilenti per triduum continuâ naris ſiniſtræ hæmorrhagiâ laborabat, affectu qui non ſolùm ipſi conſuetus erat, ſed quo etiam ſoror non rarò laborabat, & pater obierat. Itaque ego V. S. in pede inſtitutâ ob virium fatiſcentiam obicem fluxui internè per ℞ ♂ adſtringentem, ℞ ♂ cydoniato remixtam, externè verò ſtercore ſuillo ſucco urticæ nutrito poſiturus, fluxum quidem repreſſi, cujus tamen adſtrictionem è veſtigio quaſi maculæ rubræ ſanguineæ per totum corpus efflorescentes excipiebant, quæ ſicut effluxum ſanguinis interceptum ſtatim ſequebantur, ita quoque poſt paucos dies ortâ denuò hæmorrhagia ſubitò iterum diſparebant: quam recurrentem hæmorrhagiam cùm eâdem methodo, propina-

tâque inſuper ℞. violar. reprimere conarer, non quidem ſucceſſu fraudabar, aſt veſtigia nunc ejus legebat diarrhœa, anxietate præcordiali, doloreque hypochondrii ſiniſtri ſtipata. conf. ſimilem Obſ. apud *Hæchſtetterum Decad.2. Obſ.9.* In poſterum verò hæmorrhagiis ſedandis aliâ methodo ſuccurri, quam ſequens obſervatio oſtendet.

OBSERVATIO VI.

Hæmorrhagia univerſalis cùm maculis varii coloris.

HÆmorrhagias nimias ſcorbuto complicari non inſolens eſt, quas ut maculæ aliquando præcedunt, ita nonunquam ſequuntur. Conſignavit harum cùm maculis exempla aliquot *Liſter. de ſcorbuto cas. 7. 8. 9. & 10. it. Borellus C. 2. Obſ. 35.* Præſens tamen obſervatio univerſaliorem exhibet, cùm ex omnibus ferè cataractis ſanguis largius exundaverit. Vocatus d. 7. April. A. 1705. extra portam viadrinam ad filium octennem laterum excoctoris, roſeo vultu, dum ſanus eſſet, & carne denſâ præditum, obſtupui non ſolum dum audirem, quod â d. 2. April. huc usque, poſt curſitationem multam in aëre æſtuoſo, (quem ultimis diebus tempeſtas frigida & ventoſa exceperat) dolore dorſi prævio horrorem & æſtum p. n. (niſi quod ſitiret) ſan-

ſanguis quotidie per nares, os, alvum & veſicam eâ quantitate, quæ judicio Patris ſingulis diebus facilè menſuram implere potuiſſet, emanaverit, ſed & quod totum corpus & artus confertiſſimis maculis diverſæ magnitudinis & coloris (ſiquidem aliæ ſanguineo, aliæ puniceo, aliæ violaceo colore comparebant) diſtinctum cernerem. Ob pallorem ergò viriumque debilittalem præſentem turgeſcenti ſanguini frœnum injecturus & vires roboraturus ordinabam (1) pulverem in 8. doſes dividendum ex lap. ♋ ℈ij. ♁ d. corall. rub. ⦶ purif. ã ℈j. quorum quamlibet doſin quovis bihorio ex ▽ plantag. dandam præcepi. (2) potionem ex ▽ plantag. ℥iij. millefol. ℥ij. cinn. cyd. ℥ß. conf. de hyac. diaſcord. Fracaſt. ã ℥j. ſir. acet. cit. ℥ß. quibus debitè adminiſtratis brevi ſanguis intra limites redactus, maculæ diſſipatæ ſanitasque reſtituta fuit. Conf. *Hildan. Cent. 6. Obſ. 76.* qui ſimilis licet non adeò enormis hæmorrhagiæ maculis ſociatæ meminit, cui curandæ ⦶ ceu principale ingrediens adhibuit, *quoniam*, ut ſcribit, *â præceptore ſuo in periculosâ hæmorrhagiâ cùm magno fructu exhibitum viderit.* Legas item *Obſ. 22. Vol. 1. Act. Hafnienſ.* ubi maculæ tales â ſanguinis copia peccante & ebulliente V. S. diſcuſſæ & plethorâ per ægritudinem aliquam imminutâ non comparuiſſe leguntur.

OBSERVATIO VII.

Quartana comatosa.

JAm indole ſuâ illud medicorum ſcandalum quartana ſcorbutum indicat, vel eundem procudit, ita ut axioma Magni Wedelii, quartana aut invenit, aut relinquit ſcorbutum, ſemper luce ſuâ radiet. Eſt tamen cùm peculiariùs ſcorbutum ſymptomate aliquo ſingulari manifeſtat, talis eſt carus, quo comite ſi ſtipetur imprimis expertiſſimi de ſcorbuto ſcriptoris *Eugaleni judicio p.58. 66. & 67.* ſcorbuticæ titulum mereri exiſtimatur. Laborabat tali febri A. 1994. in autumno civis quidam noſtras crebrò ad aromata ſua in variorum oppidorum nundinis vendenda iter inire ſuetus, homo aliàs ſtrigoſi & melancholici habitus, ac qui victu ſcorbutico ob rem ſatis anguſtam in anguſta domo vitam tolerare cogebatur. Hujus quartana non ſolùm hæmorrhagiis profuſis, macularum eruptione, ſudorumque valde fœtentium effuſione ſcorbuticum ſuum genium demonſtrabat, ſed imprimis etiam hoc ſymptomate, quod paroxyſmi initium ſomnolentia, reliquum verò ad finem usque paroxyſmorum & morbi profundus ſopor occuparet, quo finiente & ſudor manabat, & ipſe evigilans cibos circumſpiciebat; datis antiſcorbuticis ♂libeis, antifebrili-

brilibus, purgantibus, & tandem cortice peruviano, poſt unum alterumque menſem, menſe Januario perfectè tollebatur. Huic ægro ſuaſum à me infuſum trifol. fibrini ſic emendabat ſanitatem, ut lætus mihi diceret: Es ſeye ihm darnach/ als wäre er neu gebohren. Obſervavi quidem deinceps plus vice ſimplici in noſodochio A. A. R. R. F. F. Miſericordiæ idem ſymptoma penes aliquos quartanarios, non tamen ſoporem tam gravem per totum morbum, qualis in hoc ægro occurrebat. Cæterum de tali febri intermittente tertianâ comatosâ funeſtâ legi poteſt *Obſerv.138. Decur. 3. Miſcell. Nat. Cur. A.3.*

OBSERVATIO VIII.

Catarrhus ſuffocativus infantis emetico ſublatus.

GEneroſa quoque remedia infantes puſillos tolerare, nec ipſa emetica in iis reformidanda eſſe, tùm celeberrimus *Ludovici* in ſuâ Pharmaciâ monet, tùm *Magnificus Wedelius*, cujus inſtitutionem quondam grato animo recolo, non ſemel inſinuavit. En hujus ſpecimen. Filiola Zythopolæ noſtratis $\frac{3}{4}$ an. jam balneatori in noſtrâ urbe maritata A. 1696. d. 3. Novembr. noctu Catarrho ſuffocativo corripiebatur, cùm ronchis & livore faciei, vocatus poſt clyſma injectum, ſperma-

ceti

ceti cùm pulvere pectorali Wed. item potionem ex ▽ fœnic. Hyſſ. pect. Norimb. oxym. ſquill. & ſir. nicot. corr. propino, inde cùm copioſa pituita ἄνω καὶ κάτω cum aliquo levamine excerneretur, nox tamen ſequebatur laborioſa & anxia, ob urgentiſſimos ronchos, quos, antequam ſummo mané accerſitus hypocauſtum intrarem, præ foribus audire poteram. Aëtiani igitur aphoriſmi memor, ſtertit infans ex pituitâ in ventriculo collectâ ob craſſius alimentum, ac *Ludovicianum* monitum (quod *p. 157. Pharmaciæ ſuæ* legere eſt) ſequi certus, ♀ emet. gr. ¼ cum ſpermate ceti ſtatim infundendum curo, inde factum ut poſt quatuor bilioſos vomitus, ſecutasque poſt meridiem aliquot alvinas dejectiones die ſequenti penitus ſanitati reſtitueretur, quam heri parentes ceu deploratam publicis eccleſiæ precibus commendaverant.

OBSERVATIO IX.

Arthritis vaga rarior cum affectu febrili.

IN arthritide articulos pati notum, non tamen facile occurrit ejus vim in apicem quoque naſi, auriculas, & extrema unguium diffundi. Talem ego arthritidem in fabri capillamentorum uxore 26. annorum, habitus craſſi & pinguis, obſervavi. Hæc poſt 14. dierum

dierum vagas horripilationes d. 12. Nov. A. 1694. ita incaluit, ut tamen exæstuatio vagâ horripilatione crebrò mutaretur, aderant statim ubivis dolores vagi, ordinariè duodecimâ horâ ♂ & ☍ ingravescentes, his non tantum artus, lumbi, pleura & plantæ pedum, sed & oculi (qui spasmo vago alternatim torquebantur) lobi aurium, nasi apex, dentes, cum sensu frigoris in vertice, mentum, imò extrema unguium lancinabantur. Durabat hæc tragædia cum anxietate præcordiali stipata per aliquot dies, licet pustulæ tam in linguâ (stupore hujus prævio) quàm reliquo corpore jam d. 15. efflorescerent, & tuberculum ad tempora sinistra elevaretur, d. tamen 17. cum urinas huc usque lateritias brunnæ instar cerevisiæ nostræ saturatioris (wie Schöpß) contentis saturatissimæ exciperent, vis morbi manifestè frangebatur, accedebant his urinis maculæ coloris miniati, sed vagæ, in utraque manu, quas in fine morbi die 18. pustulæ rubræ in dorso & natibus pilularum quasi formâ sequebantur. Cura instituta per V. S. brachio (quam ægra proprio consilio initio morbi celebraverat) pulvere bezoart. Wedel. qui aliis pulveribus ex lap. ♋ ♁ ♂ cinnabar. laudano opiato refractâ dosi semper remixto in morbi progressu mutabatur, essent. lignor. castor. anod. His paucis medicamentis, præter diluentia domestica (à

plu-

pluribus enim abhorrebat, nec facilè tolerabat) dolorum plenus hic affectus plenè intra tam breve tempus tollebatur.

OBSERVATIO X.
Febris maligna singultuosa curata.

ACutorum non dari certas prædictiones neque salutis, neque mortis, sapiens est oraculum Coi. Quemadmodum enim non rarò subitò turbone funestorum symptomatum in lethi barathrum præcipitantur, quos imaginaria halcyonia in securo esse medico persuaserant, unde non æquè quàm in malignarum prognosi aliquando medici falli comperiuntur, non aliter ac dum blando vultu malignus deceptor circumspectissimum cautorem sæpe fallit; sic evadunt è contrario subinde naufragium, expediuntque se mortis laqueis, quos diritas symptomatum quasi necessario morti adjudicaverat. Sanè si æger periodum malignæ febris ingrediens non solùm magnâ hæmorrhagiâ, sed & pertinaci singultu, vomituque assumptorum corripiatur, hunc non temerè nisi divinâ gratiâ adjutum salubrem exitum adepturum rectè quis dixerit. Et tamen evasit tam periculosum æquor è Zythopolarum tribu Vir-juvenis A. 1695. (quo ipso intra mensem Januarium, Februarium,

rium, & Martium febres petechiales epidemicè graſſabantur.) Hic enim altero poſt invaſionem die ſuperabundanti narium hæmorrhagiâ correptus inſuper quævis aſſumpta revomebat, crebroque ſingultiebat. Quamvis igitur tertio die vocatus nimiam hæmorrhagiam jam ceſſaſſe deprehenderem, reſtabat tamen adhuc vomitus & ſingultus, illoque ſtatim ſedato, hic nihilominus ad ſeptimum usque morbi diem ferociter præcordia, imprimis circa noctem, quatiebat. Symptomata aderant non minùs mala, reſpiratio ſublimis, anxietates, ἔκλυσις, ſumma virium proſtratio, vigiliæ, deliria ſeria, motusque convulſivi artuum; ex bonis ſignis & quæ aliquam ſpem faciebant, erant ſequentia, pulſus æqualis, mador cutis, & ſudor per dies indices & criticos, ſigna coctionis in ⊡ & tandem animus quantum memini ſi ullius certè hujus vitæ ut cupidiſſimus, ſic ſperabundus. Medicamentis obviam ibam variis, quæ itidem variè pro indicationum & ſymptomatum ratione miſcebam & propinabam: ſub iis erant pulv. bezoart. Wedel. ſtypt. Wed. c. cinnabar. & anod. pulv. epilept. March. electuar. ex pulpâ citri cond. diaſcord. Fracaſt. unic. foſſ. bol. arm. ſpec. de hyac. c. ſucc. cit. expr. potiones confortantes diapnoicæ variæ, ℞ bezoart. Wedel. c. eſſent. caſtor. & anod. mixta. Externè adhibebatur cataplaſma ex

ex fermento c. nuc. mosch. menth. castor. zedoar. & † compositum, imponebantur quoque vesicatoria pro carpis, nuchâ, & femoribus. Quibus omnibus adhibitis Deo adjuvante feliciter restituebatur æger. In fine purgans non neglexi. Quod attinet ad vesicatoria, eorum efficaciam in malignis magnam sæpe deprehendi, ubi torpor naturæ adest, ægri pituitosi sunt, in ἔκλυσιν ubi propendent, vel tacitis & fixis deliriis vexantur, aut in soporem tendunt. Pariter eadem in pituitosis salutaria deprehendit minimè verò in biliosis *Borrichius Vol.3. Act. Hafn. Obs. 44.* quæ *Thonerus* itidem *l. 1. Obs. 20. p.36.* in lethargo aut sopore superveniente, neutiquam in principio vel augmento laudat: & quidni naturam ducem sequamur, quæ in malignis sæpe vesiculis protrusis morbum jugulat. Vid. *Dec.3. Misc. Nat. Cur. A.3. Obs. 17.* Certè. A. A. R. R. F. F. Misericordiæ in numerosis ægris eorum magnam vim experti sunt.

OBSERVATIO XI.

Colica spasmodica à suppresso fœtore pedum.

SEcretione congruâ partium noxiarum per varia corporis colatoria, earumque è corpore excretione debitâ sanitatem vitamque hominis conservari, res est indubia. Ferendum

dum hinc eſt, ſi ſubinde moleſtiâ quâdam tam ſalubre negotium ſtipetur. Caveas ſanè quàm ſtudioſiſſimè, ſi ſerum ſcorbuticis ſalibus fœtum natura ad viliſſimas partes pedes deponens illud non ſine faſtidioſo fœtore per poros illorum exhalet. Sicut enim ſpontè ceſſans fœtor pedum podagræ adventum denunciat, ſic parum prudenti conſilio ſtringentibus abactus corpus in varia difficilia ſymptomata conjicit. Teſtis hujus rei eſt ſequens etiam hiſtoria. Vir 44. ann. ex illorum tribu, quos noſtro idiomate Zeugmacher vocamus, quondam circa mare Balthicum victu ſcorbutico uſus, & imprimis hactenus acetariis libenter fruitus, cum pro fœtore pedum chronico tollendo, & quia ob acrimoniam ſudoris â motu facilè pedes exulcerabantur, cinerem cupri adhibuiſſet, fœtore quidem & utore pedum ſtatim caruit, aſt ejus in locum ſucceſſit initio tumor pedum, crurumque ad motum difficultas, mox cum lumborum dolore & ſtypticitate alvi tormina ventris ſecuta, quæ tandem in acerbiſſimam colicam ſpaſmodicam finiérunt, aderat morbo contractio abdominis, pervigilium, ſitis, & ⊡ lateritia. Adhibebantur â d. 17. Jul. A. 1698. quotidie clyſmata paregorica & lapantia, fotus diverſi, internè abſorbentia, ♂lia, cinnabarina, caſtorina, & ob urgentiam dolorum anodina, levi tamen & inconſtanti

cum affectu, donec post aliquot dierum torturam manifestius levamen ab enemate, ex rad. alth. hyosc. & ⊖ gemmæ concinnato, sentiret, erumpentibus tunc maculis scorbuticis, quo deinceps quotidiè intestina abstergendo, id effeci, ut post 3. dies effluxos solidissimi stercoris globuli, lapidei quasi, prodirent, hinc statim d. 26. Jul. appetitus, somnusque rediit, alvus officium suum fecit, madduereq; postea iterum pedes. De ⊖ gemmæ proprietate quadam scybala indurata educendi vid. *Forestus l. 21. Obs. 5. f. 316.* ubi historiam leges cujusdam colici, qui irritis quinque clysteribus, cum septâ vice è ⊖ gemmæ clysma injiceretur, ejectis tunc scybalis è vestigio sanitati fuit restitutus.

OBSERVATIO XII.

Abscessus saccatus ex uteri vagina exclusus.

A. 1698. d. 21. Sept. domi medicamenta â me flagitabantur pro parturiente primiparâ, gibbosa, staturæ parvæ, quæ salsis copiosissimè & quotidiè gavisa dicebatur. Hæc ob fœtus capitis ossi pubis insidentis obliquum situm in quartum diem dolores anxios patiens, quanquam post situm emendatum pulvere ad partum Magni *Wedelii* juvaretur, tamen ex impatientiâ sua agere negligens

gligens fœtum enitentem potius perire, quam laboribus nixiis ſe accingere ſatagebat; hinc quia altero mane motu fœtus ceſſante ſcybala per uterum prodibant, ejus excludendi causâ pulveres tres ex diptam. alb. cinnam. teſtic. equor. borrac. caſtor. myrrh. & ſucc. ordinabantur, poſt quorum continuatam doſin fœtus valdè quoad caput compreſſus & ſugillatus unà cum ſecundinis feliciter ejiciebatur. Ab eo die ad 30. Sept. nil de ipſius ſtatu percipiebam, hoc ipſo verò maritus meam præſentiam exorabat; proinde ægram inviſens audio, â die partus huc usque cum dolore inguinis dextri (ubi diu tumor hæſerat) continuò per alvum copioſiſſimum pus ſummè fœtens excerni, & quidem non ſine inſigni virium dejectione, ſiti, pulſu languido & frequenti, herique animadverſo horrore. His perceptis ordinatam (1) ℞ bezoard. Wedel. eſſent. theriac. balſ. travmat. c. anod. (2) balſ. peruv. 🜍 aniſ. ā ℈ß. gt. vij. pro doſi (3) ſpec. pro infuſo theiformi ex rad. ſcrophular. ſimphyti, herb. ſcabioſ. heder. terr. bellid. fl. hyper. myrrh. (4) pulv. ſtypt. Wed. c. anod. Igitur poſt horum uſum die 1. Octobr. dolor & alvi fluxus deſinebat, ægrâ admodum bene ſibi eſſe dicente. Tum oris causâ imponebam cataplaſma cum lacte coctum, ex rad. alth. fl. chamom. R. melilot. & ſem lini. His ordinatis & per

aliquot dies non requiſitus â viſitatione abſtinui; die autem 6. Octobr. accerſor iterum, præſenti narratur ab impoſito catapl. tumorem ſtatim diſparuiſſe, ſucceſſiſſe verò ⊡ purulentam fœtidiſſimam cum magno inter excernendum dolore, & quidni dolorem ſentiret, poſtquam lotricis manus, inter abluendum lintea, acrimoniam ⊡ non ſubterfugere poterant, enatis ſcilicet in manibus inde veſicis; rebus ſic ſtantibus jubebam decocto rad. glycirrh. & alth. addi, & in juſculis ſuccum ex cancris vivis expreſſum admiſceri. Die 7. tertiâ vice unum alterumque fruſtum puris, præter continuo cum ⊡ ſummopere fœtente profluens tenue & fluidum pus, prodibat; pergebatur igitur in dictorum uſu, niſi quod ſucco cancror. vivor. quem averſabatur, terebinthinam in ovi vitello ſolutam ſubſtituerem d. 8. Hinc copioſius longè, non tamen ita fœtens pus excernebatur, unde mephitim ejusmodi in vaginâ uteri latitare conjecturans, clyſterem ex rad. ſymph. herb. ſanicul. veron. agrimon. ſcord. fl. hyperic. hord. c. terebinth. mell. roſar. & myrrh. injici in pudenda curabam, prodeunte paulo poſt fruſto oblongo puris, præter copioſiſſimum pus fluidius fœtentiſſimum, pro ſingulis noctibus verò pilulas ex extracto agrimon. ſcabioſ. heder. terreſt. ſarſæpar. troch. alkek. c. opio, magiſt. oſſ. ſepiæ, ocul. ♋ & ☍ hyperic.

præ-

præſcribebam; die 9. cum ægram accedere vellem, fœmina miniſtrans mihi conſultura ut intolerandum fœtorem, qui â fluxu puris oriretur, vitarem, ingreſſum deprecabatur, ſimul narrans eo inguinis loco, ubi tumor â longo temporis ſpatio extiterit, jam cavitatem aliquam obſervari, unde inveteratum apoſtema judicans pro meliori abſterſione & fœtidi puris correctione præſcribebam clyſterem ex rad. ſcrophular. herb. ſcord. fl. hyper. centaur. min. in ▽ hord. decoqu. addito melle roſar. myrrh. ungu. apoſtol. & balſ. ♎ aniſ. in 2. partes dividendum, quod ipſum ultimò inſignem iterum quantitatem puris fœdiſſimi & fœtentiſſimi proliciebat, ſubſequo poſt excretionem ſemper aliquo ægræ levamine: comitabatur autem, quod maximum ſtuporem adſtantibus faciebat, hoc profluvium puris veſicæ cujusdam membranoſæ (fœmina vocabat etwas wie eine Kälberne Blaſe) excretio, quam abjectam fuiſſe priusquam meis oculis luſtraſſem ægrè tuli. Die 10. pus adhuc cum □ prodibat, pulſus erat cum acriori calore celerior. D. 11. prior clyſter iterum injectus, â quo primò aliquid ſanguinis, & deinde ingens vis puris effluebat, (clinica dicebat ein gantzer Nachtſchorb voll) quæ huic clinicæ fæminæ ad lucernæ fidem examinata cumulus vermiculorum videbatur; ſtatim â clyſmate hoc dorſum & in-

guina dolebant, indicio poſt deterſum pus parietes eſſe mundificatos, quia tamen nihilominus cum ⊡ adhuc fœtens videſcens pus excernebatur, d. 12. clyſma immiſi ex rad. ſymphyti, ſcrophular. herb. ſcord. fl. hyper. roſar. coqu. in mucilag. ſem. cydon. tenui, add. myrr. aloë, ▽ ⊕ dulc. & balſ. 🜍 aniſ. clyſter hic egregiè partes affectas ſolabatur, pus etiam jam in quantitate parcius, & in qualitate amplius non ita fœtens, meliorisque coloris effluebat. D. 13. peregrè abiens, admonitione iteratâ de vitandis †dis, ⊖ſis & acribus, uſum hujus clyſteris alternis diebus commendabam, ſuadens ſimul, ut in uſu decocti balſami, & mixturæ, exceptâ ℞ bezoard. Wed. & Eſſent. anod. continuaret. Pro roborandâ veſicâ & fluxu ⊡ involuntario (quem poſt partum ſtatim incurrerat) tollendo, ▽ Japon. c. lap. ♋. exterius verò % petr. alb. c. % nuciſt. exp. commendavi, præter diætam lacteam, ſiquidem hactenus ſemper æſtu febrili carenti lactis avidiſſimæ illud loco cereviſiæ bibere permiſeram. D. 17. rediens poſt hæc adminiſtrata nullum ferè amplius pus prodire & id absque omni fœtore comperi, inſuper ⊡ diutius retineri, appetitumque vigere, adhuc tamen uſum eſſent. travmat. & pulverem ex ▽ Japon. cum lap. ♋. ut continuaret ſuadens. Interim cum ⊡ fluxus involuntarius nondum penitus ceſ-

cessaret, laudavi pudendum suillum assatum, quod præsentissimum affectum præstabat, nam postea urinam perfectè retinebat, â puris effluxu simul prorsus libera, vixitque ita sana, donec post aliquot demum annos partu difficili una cum fœtu obiret, teste demum me accersito mortis in ultimo articulo mortis.

OBSERVATIO XIII.

Lipothymia & spasmi hypochondriaci periodici.

VOmitoriorum & chinatorum abusus sicut meritò censurâ notatur, ita debitus usus â quibusdam medicis vilipenditur. Sanè & hic valeat πολυθρύλλητον illud: tollatur abusus, maneat usus. Quidni enim utamur emeticis, quæ non raró statim & unicè morbos non leves, sed sæpe Herculeos ceu vecte quodam excludunt, & quare chinatis in totum abstineamus, quæ præmissis præmittendis & εὐκαίρως præbita aliquando morbos periodicos ex toto sufflaminant. En insignissimum effectum utriusque hujus potentis remedii in duplici casu binorum nobilium fratrum. Generosi cujusdam Equitis filius 8. annorum habitus & temperamenti sanguineo-phlegmatici, domicilium inhabitans aquis circumfluum, postquam sub saginâ pleni & delicati victus nihilominus studiis nimium

vacare, parcius autem motui indulgere jubetur, domi vertigine & ſtrepitu aurium cum artuum vago & tranſitorio dolore, punctionibusque abdominis recurrentibus ab aliquot diebus d. 8. Novembr. A. 1698. affectus ſcribebatur. Quamvis igitur ſequentia medicamenta mitterentur, ſcilicet (1) ℞ ♐ cydon. c. arcano ♀ (2) jalapp. pulver. ℈ß ♄. d. gr. iij. cryſtall ♀. gr. v. (3) pulv. cachect. cinnabar. Wedel. c. ☍ cinnam. (4) eſſent. lignor. ſucc. caſtor. (5) linimentum nervinum Wedel. tamen d. 10. demum iis uti eſt cœptum, quâ eâdem die aliis litteris referebatur, heri bis vertigine caducâ ægrum affectum ſenſiſſe aliquem æſtum & externè, & imprimis internè in abdomine cum punctionibus hypochondrii ſiniſtri. D. 12. denuo ſcribitur, crebram propenſionem in ſomnum mox plenam lipothymiam excipere, ægrumque poſtea ad ſe redeuntem anxium eſſe & pavere, continuantibus unà capitis dolore, punctionibus hypochondrii ſiniſtri, & æſtu interno abdominis. Hinc ſeponi juſſis pulvere cachect. & purganti miſi (1) liquor. cephalic. Wedel. (2) potionem confortantem cephalico-nervinam, (3) pulv. abſorb. Wedel. (4) mixturam ∿oſam externam. (5) balſamum cephalico-cordiale, cum monito, ut n. 1. 2. 4. 5. ante & intra paroxyſmum, n. 3. extra illum darentur, punctionibus autem

hypo-

hypochondrii ſiniſtri litu ex ☍ hyoſc. rut. caſtor. ſucc. ſalv. chamom. aniſ. c. ☿ fœtid. proſpiciebam. Eadem die rus evocatus obſervabam, quoties paroxyſmus (qui aliquoties per ☌ & ☍ ingruebat) deſineret, præter dicta palpitare cor, & pectus cum dyſpnœâ abdomenque ſpaſmodicè conſtringi. Quia igitur ex diætâ prægreſsâ & nauſeâ aliquâ junctâ indicatio ἐμέσεως aderat d. 16. dato ☿ emet. gr. j. c. cinnabar. unico vomitu aſt ſatis largo effecto illâ die bene degebat; continuatum hinc in uſu dictorum. D. 20. litteris certior fiebam, d 17. & 18. quotidie octo paroxyſmos, d. 19. verò quinque ſecutos, cibumque ante plures dies ſumtum ἄνω καὶ κάτω non coctum excretum eſſe; vomitu igitur largiori ex ☿ emet. gr. ij. c. cinnabar. nupto proritato, adhibitaque deinde mixturâ ex elix. ſtomach. Wedel. proprietat. ☍ mac. & liquor. ♂ item balſ. ſtomach. externo d. 21. ſolum bis affectu correptus fuit, diebus tamen ſequentibus modò ter, modò quater eodem laboravit. D. 23. poſt evacuationem ſuperius memorato purgante factam & uſurpato pulvere cachect. cinnabar. item ℞ ♂ volat. à d. 27. & 28. paroxyſmis caruit, die verò 30. Novembr. iterum aliquoties morbo cum pavoribus tentatus, poſt adhibitum infuſum ex rad. cichor. pœon. trif. fibr. chin. ſarſæpar. herb. fumar. ceterach. bellid. fl.

rosmar. stœch. arab. fol. senn. fibr. helleb. nig. cryst. ♀ limat. ♂ cubeb. cinn. cost. ver. & tandem pulverem ex chin. chin. ℈ij. cinnabar. ℈j. in quatuor doses divisum, magno generosorum parentum gaudio affectus ex toto divinâ gratiâ desiit.

Alter filius 16. ann. phlegmatico-cholerici temperamenti, præter errores diætæ in priori casu allegatos insuper crebrò irâ excandescere suetus, eodem quasi tempore, quo fratrem morbus invaserat, vehementi vertigine cum succedente æstu, ὀρθοστάδιος tamen adhuc, correptus scribebatur. Die nono verò Nov. in templo denuò vertiginem cum strepitu aurium patiens, illam fortius sub cœnâ sensit, siquidem jam lipothymia, eâque cessante unà constrictio thoracis cum palpitatione cordis & dyspnœâ, spasmodicaque contractio abdominis (alvo simul per plures dies stypticâ) jungebatur. Ordinatus hinc ante omnia clyster ex emollient. carminat. c. ℅ rutac. & ☽ ♄ d. 11. paroxysmi multò vehementiores secuti cum jectigatione membrorum, nuchæque & capitis insigni lancinatione, ac intercurrentibus lipothymiis, missus hinc (1) pulv. bezoard. Wed. c. cinnabar. (2) liquor cephal. Wed. præter dicta confortantia & excitantia. D. 12. status ægri melior. D. 14. evocatus video paroxysmos circa noctem & qui sequente die 15. invadebant leviores factos, in

ſomnum tendebat antequam affectu prehendebatur, os amarum. D. 16. dato ♀ emet. gr. ijß. c. cinnabar. bis fortiter vomuit, vomitu pridianâ cœnâ rejectâ, datus poſtea pulv. abſorb. Wed. inſuper liquor cephalic. & potio confortans. Hinc ſimulatio ſolùm aliqua paroxyſmi ſecuta cum aliquo tantùm languore & debilitate. D. 20. tali rerum ſtatu miſi elix. ſtocmach. Wed. propriet. c. ☍ mac. liqu. ♂ & pulv. cachect. cinnabarin. pro 4. doſ. d. 28. â paroxyſmo adhuc liber degebat, propinatum infuſum ſuprà deſcriptum. D. 30. crebra & vehemens iterum acceſſio ſecuta. D. 1. Dec. ſolùm capitis & abdominis gravis dolor obſervatus eſt, quem d. 4. Decembr. duplex paroxyſmus excepit. Miſſus hinc pulvis ex chin. chin. c. cinnabar. & dent. hippopot. pro 4. doſ. item eſſent. ⊕ ♂ Ludov. denique ſpecies cereviſiæ confermentandæ ex trifol. fibr. roſmar. ceterach. & ſcolopend. quibus ſumtis divinâ gratiâ pleniſſimè & conſtanter convaluit. Notabile erat, hos fratres eodem quaſi morbo eodem tempore & correptos & ab eodem ſimul liberatos eſſe.

OBSERVATIO XIV.

Gravida ſilens liberos mutos parit.

GRavidis ut ſæpe moroſitas familiaris eſt, ita

ita non raró fœtui perniciosa. Deprehensum hoc est in Textoris cujusdam hic loci uxore, hæc enim dum uterum tribus vicibus gerens, præ sive irâ, sive tristitiâ, pythagoricum silentium erga maritum & cognatos exercet, tres ex ordine liberos parit, omnes mutos, quorum unum juvenem tunc 22. ann. sub curâ meâ A. 1700. habebam.

Observatio XV.

Sphacelus αὐτοκρατείᾳ naturæ curatus.

VIs αὐτοκρατοῦντος naturæ Herculeos morbos sæpe citra artis concursum subigentis, inprimis in funestissimo affectuum sphacelo eradicando elucet. Ita vidit Bartholin. Cent. 1. Histor. 69. pedem sphacelatum sponte deciduum, quem chirurgus auferre formidaverat. Talem quoque casum ego observavi. Puer nimirum 12. ann. parentes nactus pauperrimos dum 1701. in eadem domo quatuordecim personæ febri petechiali corripiuntur & ipse eâdem corripitur, correptus per octo dies delirat, hinc per aliquot septimanas ἄφωνος jacet, tandem macula lata nigra in genâ dextrâ non procul â naso efflorescit, indicio sphaceli. En veró efficaciam naturæ perficientis, quod nullus fortasse chirurgus aggredi fuisset ausus, separatur nempe & ex-

& excidit dextra medietas nasi, maxillaque pariter dextra superior unà cum omni cute, carneque illa ossa contegente: nec satis erat naturæ emortuas partes propriis viribus abstulisse, quin carne quoque citra ministerium artis hiatum illum enormem explet. Ego sanè ostupui audiens talia & oculis contemplans tam horrendam cavitatem. Similem siderationem malæ in variolosâ puellâ ab affricto unguento vidit celeberrimus *Lentilius in Eteodromo p. 153.* hæc enim sphacelata pariter cum omni carne ab oculi sinistri orbitâ usque ad genam excidit, dimidium quoque utriusque labii secum abripiens cum dentibus omnibus, & maxillæ superioris insigni frusto, sic ut oculo ad fauces usque pateret aditus, quæ tamen itidem convaluit.

OBSERVATIO XVI.

Raphani vis resolvens insignis.

RAphani vires resolventes & diureticas passim apud autores deprædicatas legere est. Ita memorabilis historia de raphani succo durata in calculi ferè soliditatem ova dissolvente Vol. IV. Act. Hafn. Obs. 39. habetur. Quid in cachecticorum lentitiâ seri attenuandâ valeat, aliquando vidi in virgine chlorotica. Hæc ipsa enim cum priùs multò

tem-

tempore δύσπνοος & malè colorata fuisset, diuturno & quotidiano esu raphani â me imperato εὔχροος & facile respirans cum suorum gaudio evasit. Similiter fœmina 25. ann. anasarcode & ascitico tumore per 23. septimanas afflicta, postquam per aliquot hebdomadas quotidie succum tenerorum raphanorum (Monath Rettich) sumsisset, referente filiâ ab omni suo hydrope feliciter liberata est. Interim cur miremur mucidas massæ sanguineæ partes acrimoniâ salis raphanacei posse dissolvi, si in solidum tumorem abiens humorum coagulum penetrans vis raphani disjicere potens est. Tale verò narrante nobilissimâ & piâ matronâ contigit in infante suo proprio. Hæc enim dum aliquando raphanum prandens videret infantem suum (qui diu definito abdominis loco tumorem durum quævis medicamenta frustrantem circum gestaverat) avidè in raphanum ferri, eundem postea frequenter infantis ori ingerens, tandem id consecuta est, ut sensim durities tumoris molliretur, tandemque tumor penitus dissolveretur. conf. Illustr. *Schrœkii observationem de asthmate sicco convulsivo esu raphani sanato, decur. 2. A. IV. ob. 174.*

OBSER-

Observatio XVII.

Purpuræ lateralis retropulsæ noxæ, hâc iterum efflorescente depulsa.

SIcut quæ transſpiratu per poros cutaneos emittuntur tenuiſſima ſunt & maximæ energiæ maſſæ ſanguineæ recrementa, ita illorum exhalatio ſtudiosè promovenda eſt, nec impunè feres, ſi ad littus corporis ejecta periculosâ metaſtaſi ad interiora repellas. Experiebatur hoc infans ſutoris $\frac{3}{4}$ ann. d. 25. Septembr. A. 1700. Hic enim purpurâ particulari lateris ſiniſtri affectus, cum nihilominus aëri frigido expoſitus fuiſſet, diſparente purpurâ in vomitum incidebat cum alvo laxâ. Dato pulv. bezoard. Wed. pro 2. doſ. primam doſin ſtatim revomebat, externè cruſtâ pan. torrefact. c. nuce moſch. & vino malvat. adſperſo impoſita, d. 26. dens erupit d. 25. eadem adhuc cum vigiliis & inquietudine, non calebat, quin frigebat, facies collapſa vinum malvaticum pani biſcocto ſacharato irroratum & hactenus datum porro commendabam, unà potio porrigebatur ex ▽ rub. id. menth. polyoph. cinn. c. v. ſpec. de hyac. ſir. fl. tun. pro temporibus unguent. populn. c. ℴℴ nuciſt. expr. & extr. croci, denique pulv. bezoard. Wed. c. theriac. aſt fruſtra, vomitu ut prius continuante, d. 28. vomitus quidem recur-

recurrebat, non ſtatim tamen ut prius poſt cibos vel potum ſumtum, vinum avidè appetebat, brachii ſiniſtri frigus ſentiebatur, reliqua eadem, pulvis idem repetebatur cinnabar. juncta. D. 29. dato licet pulv. ſtypt. Wed. cum theriacâ, tamen vomitus & diarrhœa pari ratione continuabat, lecto ſe tegi non patiebatur, quovis modo illum â ſe demoliens, jacebat debilis, oculi viſebantur languidi & triſtes, anhelabat potum, corpus frigidiuſculum imprimis autem brachium ſiniſtrum. Potio iterata externè verò 🜄 camphor. cum 🜔 ſerpilli applicatus. Hinc rebus adeò periculoſis celeberrimi Stahlii conſilium ⊕ſa in vomitu variolarum commendantis ſequi certus, dent. hippopot. c. cinnabar. ⊕ & mithridat, propius & quidem eo cum eventu, ut quamvis poſt primam doſin adhuc vomeret, pulvis tamen remaneret, hinc ſtatim quietus decubitus per duas horas ſucceſſit, & poſt alteram doſin vomitus planè deſiit, redeunte ſimul externo corporis calore, cum facie coloratiori, ſomnoque quietiori. D. 30. manè quietior, alacrior & vividior comparebat, quamvis â vomituritione inani nondum penitus liber, ſcybala non amplius erant aquoſa, ſed ſpiſſiora, vegetè appetebat, pulvis hinc repetitus, quo amplius ſumtò vomitus deinceps ex toto ceſſabat, & in latere ſiniſtro (quod jam cum dextro æqualiter cale-

calebat) purpura denuò efflorescebat; summa, omnia iterum salva.

Observatio XVIII.
In febri petechiali ἠχέων.

FEbricitantium deliria temperamentis ægrotorum congruere, observatio est circumspectorum practicorum veritati consentiens; ita enim sanguinei animum lætis, phlegmatici stupidis, cholerici furibundis, & melancholici seriis anxiisque deliriis confundi ac agitari notamus. Tale ex rariorum sorte occurrebat in quodam Viro-juvene fabri rotarum filio 31. annor. Hic temperamento præditus sanguineo-melancholico cum facie prærubrâ annuis largis hæmorrhagiis tàm per os quâm nares, insuper epilepticis motibus ad 25. ætatis annum, non raro etiam calculi doloribus subjectus, cum morositati taciturnæ, solitudiniq; meticulosæ vacans constanter consuevisset concionatorum in templo sermones sacros altè memoriæ infixos domi in papyrum conjicere, ex consuetudine profundæ attentionis ad concionantium verba id consecutus est, ut febri petechiali epidemiâ mense Martio correptus, septimo morbi die (quo consilii causâ ad ipsum vocabar) omnia quorumvis in hypocausto præsentium verba, ceu vivus quidam echo & quidem illo tono, quo

C vel

vel ſubmiſſius, vel fortius pronunciata fuerant, repeteret. Impoſito itaque nuchæ veſicatorio corrigebatur quidem hæc rarior delirii ſpecies, ita tamen, ut anxia deliria nunquam plenè ceſſarent: revertebantur etiam conſueti olim motus epileptici, & non ſine maximis cruciatibus calculus excernebatur. Quamvis igitur diapnoicis, abſorbentibus, bezoardicis, ⊕ſis, diluentibus, emulſivis, aliisque diligenter inſiſteretur, tamen ob lethaliſſima mox ſub meum ad ægrum ingreſſum comparentia ſigna die decimo tertio morbi mortem obire cogebatur, mente prius, ut ferè ſolet reſtitutâ, ægroque inter ardentisſimas preces animam creatori reddente. *De puero cum bulimo ἠχέοντι confer. Decur. 1. Miſ. Nat. Cur. An. 3. Obſ. 51. item de alio dec. 1. An. 6. Obſ. 108.*

OBSERVATIO XIX.

Febrilia ſymptomata à punctura veſpæ.

LIquorem inſectorum ictu emiſſorum ut plurimum acidâ, coagulatoriâ & fermentativâ acrimoniâ pollere, tum experimentum celeberr. *Ludovici dec. 1. Miſ. Nat. Cur. An. 8. Obſ. 67.* oſtendit, ſiquidem is deprehendit apes ictu liquorem emittere ſaporis admodum mordacis, aquæque regiæ æmulantis,

tum

tum ſequens obſervatio. Menſis Julii d. 13. Villica valde carnoſa & ſucculenta, dum gramen reſecat, inſcia nidum veſparum turbat, hinc illarum iram ſentiens mox poſt ictum brachii & pedis tumorem dolentem eryſipelaceum, ſtatimque poſtea in toto horripilationem æſtumque alternantem cum virium languore, cordisque anxietate incurrit. Datis ℞ bezoard. Wedel. c. mixtur. ſimpl. remixtâ & pulv. bezoard. ejusd. ſudore promoto d. 14. æſtus febrilis, dolor capitis, & reliqua quidem ceſſabant, interim reſtans tumor pedis eryſipelatodes non ante diem 17. illius menſis poſt inſperſum pulv. eryſipelatod. disſipabatur. Alioqui celeber. *Welſchius Dec. 1. Miſc. Nat. Cur. an. 8. Obſ. 35. p. 65.* in ſe ipſo ictum veſpæ & aranei impoſitis parti læſæ foliis ſalv. nobil. recentisſimis curavit. Hinc enim uno quaſi momento tumor & inflammatio reſedit, ſedatoque dolore aculeus disparuit, quem ante impoſita folia perſpicuè viſu perceperat. *Conf. Hildan. Cent. 4. Obſ. 77.* ubi ex punctura veſpæ circa carpum dolor ingens totius corporis & lipothymia, item *Cent. 4. Obſ. 78.* ubi à punctura veſpæ ulcus inſanabile ſecutum eſſe ſcribitur.

Observatio XX.

Iræ & terroris vis morbifera & medica.

ANimi commotionum vim morbiferam ut quotidianis documentis experimur, unde nil æque ſanitatem turbat, hominesque in varios morbos ipſamque præmaturam mortem præcipitat, quàm malè gubernati animi motus, ita tamen aliquando videas vim medicam ad diritatem morborum tollendam iisdem, & quidem aliàs quam maximè nocivis (quales terror & ira eſſe comperiuntur) ſubeſſe. Pertractavit hoc argumentum egregiâ *de commotionum animi vi medica* diſſertatione celeberrimus Lipſienſium Profeſſor *D. Pauli.* Similes ego iræ furialis morboſos effectus vidi in quodam pectinum fabro, qui fortiter iratus ſanguinem ſtatim mejebat. Alius verò ſutrinæ addictus, quoties vehementer excandeſcit, toties cum tremore artuum cutem maculis ſanguineis diſtingui notat. Qualem itidem effectum â terrore in conjuge cujusdam collegæ Eliſabethani deprehendi. Hæc enim Hypochondriaca & habitus teneri olim in juventute ex fulminis fragore non ſemel ita territa fuit, ut ſtatim in facie & brachiis maculæ latæ, rubicundæ efflореſcerent. Aſt ſalutaris erat ira cuidam ex meis ægris generoſo

roſo equiti. Hic enim podagrâ habituali excruciatus, dum cruciatus ſuos ab informatore ſuæ juventutis ex ebrietate tunc importunè garrulo ſibi intendi ſentiret, nec ob pervicaciam hominis quicquam verba abitum jubentia proficerent, en totus in fermentum actus, jam non jacens, ſed totis viribus curſitans ſtricto enſe non modò antagoniſtam ſuum fugientem inſequitur, ſed penitus unâ fideliâ podagricum tortorem hac vice fugat & diſſipat; eâdem pariter ratione, ac ille nobilis, cujus *D. D.* Pauli in laudata diſſertat. §. 20. ex Horſtio meminit. In quadam verò fœminâ, Zythopolæ cujusdam hujus loci uxore, terror ex incendio per viciniam orto febrim tertianam inferebat, qui tamen cum propriæ ædes poſt aliquot ſeptimanas die febrili incendio conflagrare inciperent, febrim deinceps pariter extinguebat,

OBSERVATIO XXI.

Aëris per aurem ſiniſtram emiſſio.

MEatus illius, qui ab aure in palatum fertur, adeo patula aliquando obſervatur cavitas, ut aër inde emittatur. Obſervavit tale quid *Cnöffel. Dec. 1. Miſc. Nat. Cur. Ann. VI. Obſ. 85. Tulpius pariter l. 1. Obſer. 35.* vidit duos orthopnoicos effuſo ſpiratu per iſtum du-

ctum liberatos. Unde etiam teste *Bartholino L.3. Anatom. c. 9. p. 527.* aliqui nicotianæ fumum ore haustum per aures reddere norunt. Prius & ego deprehendi in hydropicâ vetulâ 74. annor, quæ â multis annis quoties â pastu eructatio consequebatur, toties ex aure sinistrâ sibilus quidam & strepitus flatu manum feriens prodibat. In hac vetulâ, cui ob ⊡ crassam, sitim, dolorem abdominis, & duritiem tumoris nullam spem reconvalescendi facere poteram, observavi retropulsorium effectum aquæ Calcis vivæ unà cum Stahlio, quem adnotavit in dissert. de adstringentium usu noxio p. 25. Inde enim postquam lintea △ Calcis vivæ madefactâ cum stricturâ cruribus applicata essent, crura quidem tenuiora evadebant, ast ob retropulsionem ad pectus dyspnöea mox oriebatur, unde statim removeri jussi.

Observatio XXII.

Ophthalmia menstrua post retropulsa ulcera capitis.

INfantum & puerorum ulcerosa capita sicut â fonticis affectibus illos præservant, ita si temere topicis tententur, in periculosos & quandoque funestos morbos eosdem præcipitant. Experiebatur hoc puella, hæc enim post malè curatum ulcerosum caput medica-

mento quodam topico in ophthalmiam incidit, quæ poſtea ſemper ſingulis menſibus menſtrua antevertens his prodeuntibus iterum recedebat. Menſtruo fluxu verò emanente phthiſica A.ætat.XIX.obibat. Pariter ſutoris filia decem annorum, ophthalmiam incurrebat, poſtquam mater ulcera capitis externo remedio inconſultè aggreſſa fuiſſet, quibus per diaphoretica & balnea revocatis, ophthalmia iterum ceſſabat. Simili modo celebris cujusdam medici Vratislaviam miſſus filiolus 7. annorum, poſt illita ulcera capitis unguento quodam catarrhum pectoris, dyſpnœam, & ſtatum ſemi-cachecticum totius incurrebat, qui tamen ulceribus curâ meâ iterum reproductis ab omnibus iis ſymptomatibus plenè vindicabatur. Aſt non eandem bonam fortunam ſentiebat ſenioris ê tribu fabrorum pectinum filius 10. annorum. Hunc enim impatienter ferentem diuturna capitis ulcera, balneator quidam inſperſo quodam pulvere & litu unguent. de litharg. ſecurè curaturum promittens, in diriſſimos capitis dolores è veſtigio conjecit, qui febri malignâ excepti ægrum ad mortem ex meâ prognoſi comitabantur. Jungebantur enim huic febri præter dolorum capitis tormenta, ſumma proſtratio virium, deliria, anxietas præcordialis, dolores artuum vagi in ſemiparalyſin deſinentes, diarrhœa fœtentiſſima,

tiſſima, ⊡ viridis, quibus purpura alba in fine morbi, & tandem die 14. mors ſupervéniebat.

OBSERVATIO XXIII.

Mamillarum tumor hæmoptyſi ſublatus.

UT invia virtuti nulla via, ſic etiam naturæ. Oſtendet hoc ſequens etiam caſus. Faber lignarius 42. annor. temperamenti & habitus ſanguineo-melancholici, dum puer eſſet frequentisſimâ & copioſâ hæmorrhagiâ narium laborans, poſtquam relicto opificio molitorio (ſub cujus tyrocinio imprimis ex circumvolitante pulvere tusſi vehementi nunquam caruerat) fabrum lignarium deinceps ageret, atque tunc præſertim caſibus ex alto, quibus jam antea fataliter quaſi obnoxius fuerat, magis adhuc exponeretur, aliquando non ſolùm caſu ab alto fortiter nates concutiens ſanguinem ê faucibus excusſit, ſed etiam alio tempore pronus ligno acuto pectus allidens inde tumorem utriusque mammillæ ſanguine grumoſo diſtentum adeo magnum contraxit, non ſinè dolore per vices punctorio, ut mammas muliebres mentirentur. Quamvis igitur proprio marte aliquibus medicamentis tumorem reſolvere & diſcutere tentaret, tamen is per 1½ ann. non

prius

prius reſedit, quàm poſtquam fortibus ſtri-
cturis muſculorum ſub extenſione laborioſâ brachiorum in altum hæmoptyſis excitaretur, quâ effectum, ut deinceps intra 14. dies hic mammillarum tumor plenè diſcuteretur, licet ſubſequo tempore etiam nonnunquam parum cruoris adhuc ſpueret. Quia igitur inſuper crebris oculorum, aurium, & genarum vulnerationibus hæmorrhagicas congeſtiones ad caput magis firmaverat, poſtmodum id ſecutum eſt, ut quolibet menſe Martio (quo tempore ſcilicet motus hæmorrhagici ſenſibilius ſuſcitantur) ſanguineas commotiones ſentiens tandem etiam eodem menſe in febrim inflammatoriam lethalem multis vagis in- & externis doloribus ſtipatam incideret.

OBSERVATIO XXIV.
Empyema ſanatum.

VIr 61. annorum temperamenti ſanguinei, animi ſenſibilis, poſtquam ex ſutore, ob temporum injuriam, mendicantium miniſter factus ratione ſui muneris toto die in portâ ad oderam excubare, victuque vili & quotidiano caſei acidi eſu ſe ſuſtentare cogeretur, olim nephriticis doloribus exercitus, menſe Decembr. Anno 1703. poſt dorſi & pectoris dolorem non ſine tuſſi cruento-pitui-

tuitosa ejicere incepit, cui nocte die 8. Decembris post terrorem in somno fortis horror subsequo æstu jungebatur. D. 9. vocatus cum signa pleuritidis deprehenderem, V.S. celebrabam, quâ institutâ undique sudor erumpebat, cum levamine doloris; dabatur postea debito tempore essent. alexipharm. Stahl. pulvisque pleuriticus. Wed. c. ⏀. sequebatur nox satis quieta, virium tamen debilitas & sitis pro ratione pulsus & caloris, quorum ille magnus satis & æqualis, hic mediocris, major, dolor in pectore sedem mutabat, tussis rara cum quâ pituita viscida ejiciebatur: ordinata hinc ℞ bellid. c. ♎ ⊖ in potum pro decocto verò scabiosam c. fl. papav. rhead. abnuebat, d. 11. ob clamosam sitim ab uxore parum salutariter exauditus, ▽ frigidam obtinuit, unde respiratio mox difficilior, cum vago dolore, rarâ adhuc tussi, & visci de meracæ pituitæ excretione. Dum in dictorum usu sic pergitur, d. 12. flavum pus sputo remixtum facilè & copiosè expectorabatur cum respirationis levamine. Continuabat sic, copiosior tamen adhuc, rejectio ejusmodi materiæ d. 13. cum bonis reliquis signis, quibus die 15. sudor nocturnus post comestas avidé in cœnâ rad. petroselini exquisité petroselinum olens jungebatur; ab itinere verò mihi reduci tœdiosum erat audire, ægrotum d. 19. fortiter horruisse, subsequo calo-

calore, dolore pleuræ dextræ punctorio, respirationeque difficili & tussi; dabam proinde pulver. pleuritic. decoctumque herbarum dictarum c. butyro ♋ conditum (â quo tamen ob nauseam vomebat) denique essent. Alexiphar. Stahl. c. elix. pect. Wed. bals. peruv. His obtinebatur, ut eodem die mensuram pituitæ cruentæ expectoraret, faciliusque respirare inciperet. Sed hoc solùm prodromus erat copiosioris ἀνακαθάρσεως, ad diem enim usq; 29. quatuor ferè mensuræ puris & quidem hâc ipsâ crassissimum pus dicente ægro caseum acidum veterem sapore referens, maleque olens sequebatur, respiratio hinc multò facilior, doloris sopitio, ⊡ prius enæoremate instructæ jam crassæ, pulsusque naturalis evadebat: medicamentis itaque dictis bals. peruv. ℈j. ♆ anis. ℈ß. saccharo instillatum addebatur, inde d. 31. ultra mensuram puris iterum tussi ejiciebatur, injunctus hodie succ. ♋ vivor expressus cum lacte caprino, d. 2. Januar. mensura iterum puris cruenti & fœtentis rejecta; illo loco ubi dolor erat macula rubicunda efflorescebat, æstus, sitis, & pulsus iterum febrilis, balsamum & succ. ♋. homo mollis & sensibilis aversabatur, igitur ordinavi potionem ex ▽ fl. acac. cerefol. extr. scabios. bellid. heder. terr. c. sir. viol. item emulsionem ex amygdalis dulcibus card. ben. &c. quibus sumtis d. 9. denuo ultra

men-

mensuram puris longê quam prægressum fœtentioris rejiciebatur, non tamen sine siti, corporisque consumtione, unde usus balsami, conservæ rosar. lac. caprin. & passulæ minor. c. ▽ borag. diversis quæque temporibus sedulo suasa, & diligenter adhibita fuere, quibus effectum, ut post usum balsami horribilis puris fœtor cessaret, per ⊡ adhuc, quod ultimis diebus factum, purulenta materia amplius excerneretur, egoq́; ægrum d.7. facie vividâ c. pulsu & calore naturali siti carentem, & in hypocausto sedentem offenderem; ast quia adhuc dorsum sub scapulis dolebat, suspicabar non vanè, nondum omnia esse salva, igitur ut sedulo in usu dictorum pergeret suasi, quibus observatis d. 11. præviâ angustiâ pectoris & dyspnœâ circa noctem materiam peculiaris tetri fœtoris, cum prior constanter caseum acidum veterem oluisset, exclusit, respiratione mox redditâ faciliori. Unde cum adhuc aliquid materiæ, purulentæ subindè rejiceret, locusque ubi pus delituisse senserat quasi intertriginosus esse perciperetur, insuper post pastum cum pulsu celeri aliquantum adhuc caleret, quamvis appetitus, somnus, pulsus facieique & oculorum status s. n. redderetur, jussi ut in herbarum heder. terr. scabios. veron. &c. usu diu adhuc continuaret, interim quia has aversabatur, amplectens illarum loco ℅ olivar. c.

balsam.

balſam. ſupra dicto maritatum, divinâ gratiâ ſic eſt reſtitutus, ut benè ſpirans adhuc A. 1714. ſanus vivat, munusque ſuum ſedulo exequatur. Eadem methodo pariter opificii ſaponarii tyronem, textorisque & ruſtici uxores omnes empyicos perfectè reſtitui, quorum iſte & illa ſimul per diarrhœam & ⊡ pus evacuabant. Quantum Caſei veteres & impr. acidus noceat, bene norunt Calendariographi, dum hunc verſum in ſuis calendariis ponunt: Verfaulte Käſe machen kranck. Et ego duas fœminas imprimis exinde in hydropem lapſas novi.

OBSERVATIO XXV.

Febris tertiana comatoſo-ſpaſmodica.

GEneroſa quædam Virgo 50. annorum temperamenti cholerico-melancholici, habitus macilenti, olim ante 12. ann. epilepſiâ hæreditariâ, poſtea melancholia hypochondriacâ & ante annum purpurâ veſiculari ſcorbuticâ correpta, d. 15. Sept. A. 1704. circa noctem primo paroxyſmo tertianæ tentatur, qui d. 17. veſperi increſcens d. 19. meridie fortius adhuc cum nauſeâ doloreque genuum lancinatorio, alvo in ſextam ♂ ſtypticâ & ⊡ lateritiâ rediens, ægram, ut ipſi ſuccurrerem compellebat. Clyſma igitur faſtidiente

diente ad celeberr. Hoffmanni ductum infusum (quod expertissimum sæpissimè deprehendi) ex rad. polypod. fol. senn. fibr. helleb. nigr. herb. fumar. capill. ♀ sum. cent. min. cort. cit. rec. 🜿 🜿ris. c. ∽ ⊖ ✳ c. irrorat. die ἀπυρεξίας sumendum ordino. D. 21. frigus ingens â 10mâ ad 2dam durans mitiori tamen quàm prius æstu excipiebatur, sub æstu valde ciborum avida erat, & tenesmo vesicali ⊡na sub hoc & sequentibus paroxysmis aquosam, uti diebus ἀπυρέτοις lateritiam fundebat, carens semper sudore. D. 23. quod contra meum jussum brevi antè paroxysmum infusum sumserat, sub illo priori non multum dissimili vomituriebat. D. 25. stata horâ accessio facta cum solito magno & diuturno frigore, sub cujus statu hypochondrium sinistrum semper dolebat cum eructatione & nauseâ, hac vice finiente æstu in manibus maculæ flavæ efflorescebant non sine pruritu manuum pedumque vehementi, & diuturno, fluebatque sudor nunquam hactenus visus ab hora secundâ ad sextam usque quam effusissimè, & quidem tam enormiter fœtens, ut adstantes accessum formidarent, interim parum εὐφόρως, languebat enim inde non parum. D. 26. licet dies intermissionis esset, adeo languida decumbebat & sitiens, ut adstantes mortem timerent, & quamvis hora quarta p.m. paulo levaretur, dyspnoos tamen esse

esse non desinebat, oris exulceratio hodie animadversa, d. 27. paroxysmus duabus horis tardius, adeoque 12 mâ, accessit, frigus quidem jam longum, ast mitius, sitis in locum appetitus in paroxysmo hodie succedebat, sudor non sequebatur, interim ⊡ saturatissima ut die ἀπυρέτῳ excernebatur, d. 28. post consumtum nodulum mixtur. antiscorb. Wedel. ℞ ♂ hellebor. mixta dabatur, d. 29. levis solùm horripilatio cùm conspicuo calore aderat, sudor iterum adeò copiosus & fœtidus, sicut d. 29. fluebat, pariter ⊡ abominandum fœtebat, ultimis his duobus paroxysmis comparebant sub frigore lancinationes brachiorum & crurum, contractiones digitorum, crurumque motus convulsivi & delira mentis confusio, quo modo domestici epilepsiam sine dubio occultabant; d. 30. εὐφόρως degebat, obrepebatque hora 12 mâ meridianâ somnus reficiens, ad undecimam antemeridianam sequentis diei, adeoque per 23. horas durans, ut eo soluto sibi regenerata videretur. D. 1. Octobr. dato pulv. febril. Wed. ex conch. arc. ♄ d. & ☍ caryoph. levissima solum velitatio febrilis succedebat. D. 3. per totum corpus purpura pruriginosa efflorescebat, ⊡ remissior jam, quæ prius flammea & crassa fuerat, adeoque post adhibitam adhuc ℞ ♂ hellebor. c. arc. ♀ & pulverem priorem iteratum morbo gravissimo feliciter defungebatur.

OBSER-

Observatio XXVI.

Circa hydropis pathologiam & therapiam aliqua notabiliora.

SIcut ordinaria in morbis occurrentia phænomena ne minimo quidem excepto ad perficiendam pathologiam describere præstat, ita rariores morborum circumstantias non negligere itidem expedit. In talium classem poni meretur appetitus hydropicorum integer non solùm, sed & auctior. Moriebatur hoc morbo chronico Virgo 60. ann. & Sabaudus ille, cujus in sequentibus observationibus mentio fiet; illa suetum appetitum ad finem vitæ retinebat, huic quoque valdoperè augebatur, ut alcalibus domari nequiret: utrorumque verò victus constiterat inter alia dispepta copioso casei acidi, & acetariorum cibatu. Virgini (aliàs ante hydropen non semel inflammationibus diversarum partium ad gangrænam tendentibus tentatæ) id rarum quoque phænomenon sub ultimis morbi diebus contingebat, ut non solùm rubor Scarlatinus omnes partes hydrope obsessas (quæ erant scapulæ, femora & crura) invaderet, sed etiam ex crurum dilatatis poris copiosè serum deplueret, quo phænomeno ego motus, insuperque experientiâ tam propriâ (quâ meis oculis vidi rusticum ob hy-

hydrope abdominis & crurum, post profundas scarificationes surarum κατὰ συρμὸν factas, procurato sic largo stillicidio seri, rite convaluisse) quam Severini & celeberr. Slevogtii in programmate de Scarificatione hydropicorum inductus, statuebam scarificationem experiri. Tentatis igitur â balneatore scapulâ, cruribus & pedibus (licet ego solùm femora jussissem) statim seri sanguinei bona quantitas ad 2. mensuras ferè effluebant, cum subsidentiâ tumoris in scapulâ ex toto, sensibili etiam abdominis: posteris insuper diebus partim ex incisis, partim ê sponte dilatatis poris tantum seri effluebat, ut lodices continuè madefierent, quin adeo continuus & densus sudor toto corpore prorumpebat, ut patientis in frigidâ camerâ decumbentis corpus atmosphærâ aliquâ cinctum compareret. Quamvis igitur nulla gangræna succederet, tamen ægra quod sitis, calor p. n. & urinæ crassæ ac rubræ viscerum εὐσπλαγχνίαν abesse significarent, post aliquot dies nihilominus moriebatur. De simili rubore totius in anasarcâ gangrænâ tamen excepto vid. *Salmuth. Cent. 2. Obs. 99.* Stillicidii sudoris in hydropico parum saltem ægrum levantis & tandem morte pariter excepti meminit etiam *Bartholin. Cent. 3. Histor. 23. Dec. 2. Misc. Nat. Cur. Ann. 1. Obs. 79.* Verò effluxus seri ê poris hypochondriorum dila-

latatis ſalutaris morbumque ſolvens deſcribitur.

Observatio XXVII.
Salivatio chronica & vomitus quotidianus hypochondriaci ſublatus.

SI aliquod argumentum peritorum medicorum ſtudio perfici meretur, ſanè id ſunt artificum morbi. Glaciem quidem in hâc materiâ cum magnâ laude fregit eruditisſimus *Ramazzini*, ſed quia propriâ confesſione incitamentum potius tanto operi perficiendo (in quo multorum medicorum calami ſatis in quo ſe exerceant inventuri ſunt) vocari debeat, quam plenè perfectum opus, proinde commendandum eſt eruditæ poſteritati, quo egregios viri conatus juncta operâ magno reipublicæ medicæ emolumento amplius augeat & perficiat. Quemadmodum igitur artibus ſellulariis addicti neceſſitate quâdam malo hypochondriaco urgentur, ita hoc ipſum inprimis ſudores exercet. Experiebatur illud juvenis ſutoris ſocius, qui ut hypochondriacis ſolenne prærubrâ facie exiſtens â duobus annis, inprimis autem ultimis quatuordecim diebus, aliquot poſt paſtum horis non infrequenti hypochondriacis ſymptomate ſalivatione vexabatur. Accedebat nimirum hæc quotidie poſt meridiem ſtata hora quin-

quintâ, uti hora ſecundâ vomitus præcurrebat. Datis die 11. Nov. An. 1700. (1) pulv. ſtomach. Wed. c. alcoh. ♂ coral. r. ppt. & °o° cinam. (2) ℞ ♂ cum vino malvat. parata, & (3) eſſent. ⊕ ♂ Ludov. die 12. & vomitus & ſalivatio ceſſabat, remanente ſolùm nauſeâ; quia igitur alvus jam dum ſtyptica penitus officio ſuo per 5. dies, & quidem non ſine abdominis tenſione deeſſet, d. 16. pilul. aloëticis fruſtra datis infuſum paſſular. c. fol. ſenn. fibr. helleb. nigr. & ⊖ ♀ ſubjungebatur, hinc d. 17. gutture inferiori cum dolore lumborum gravi nondum exſoluto, clyſmate injecto 9. dejectionibus copioſiſſimis per duos ex ordine dies proritatis plenè convaluit æger, liberatus ſic â ſalivatione biennali & vomitu 14. dierum periodico moleſtiſſimo.

OBSERVATIO XXVIII.

Hæmoptyſis ab omiſsâ venæ ſectione adſuetâ.

EXperientia teſte celeberr. *Stahlius in diſſertat. de patholog. fundament. c. 4. p. 35.* ſcribit *quotidianum eſſe, quod homines venæ ſectioni â multis annis circa ſuperiores partes corporis aſſuefacti, augeſcente ætate tales affectus incurrant circa ſuperiora loca, qui â congeſtione vel eniſu ſanguinis pendeant, licet hi ipſi tunc jam ſint præter ætatem, maximè verò id fieri, ſi has evacuationes aſſuefa-*

ctas neglexerint. Inter alios plures id ipſum quoque caſus ſequens ſenioris è tribu ſutorum confirmat. Hic 59. annor. temperamenti melancholico-cholerici, habitus macilenti, animi activi & ſenſilis, poſtquam juvenilibus annis in Suecia cibis craſſis, infumatis, ſalſis, & viſcidis frequenter uſus, corpus etiam non parum frigore boreali læſiſſet, & poſtea ſub ſedentario vitæ genere & parcisſimo potu, (quod ipſi quaſi hæreditarius mos erat, dum mater ſæpe poſt quartum diem demum non raro bibere ſueverat) caſeo, acidis, viſcidis, flatulentis, fructibus horæis aliisque dyſpeptis libenter gaviſus eſſet, ut de animo ad vehementes triſtitiæ, iracundiæque motus proclivi ſileam, olim juvenis adhuc in ſodalitiis plus juſto adbibens, tum ſtatim frequentes cephalalgias, nariumque hæmorrhagias ſenſit, quibus tollendis & præcavendis non raro V. S. cum fructu celebraverat. Poſtquam vero ſequentibus annis cùm alvo ſtypticâ & morante hæmorrhoides cæcæ ſequerentur â cephalalgiâ inde & hæmorrhagiâ immunis factus, ſanguinis eductionem inutilem poſtea fore ratus, eam per 3. annos neglexerat, licet frequentes circa ver & auctumnum recurrentes circa caput & pectus catarrhi, ceu eniſus ſanguinis, prædictorum affectuum veſtigia legerent. Igitur A. 1700. menſe Sept. & Octobr. diuturnâ tali & gravi tuſſi

tuſſi humidâ iterum afflictus, cui phlegmatorrhagia narium tandem cum levamine acceſſerat, triſtique prognoſtico medici celebris phthiſin funeſtam non minus ignoranter, quam imprudenter prædicentis conſternatus, me conveniens dato infuſo laxante, diapnoicisque & pectoralibus levius quidem paulò habuit, aſt cum remanente adhuc levi tuſſi (cui phthiſin medici prioris judicio ſubeſſe metuebat) iter inſtituiſſet, eo peracto d. 14. Octobr. noctu cum tusſi ſanguinem floridum modica copiâ ſpuebat; aderant huic ſputo artuum lasſitudo, frigus pedum & crurum cum ſimultaneo æſtu & rubore faciei, alvusque cum ſtricturâ abdominis ſtyptica. Suasâ proin ante omnia venæſectione, (cum de alvi obſtructione ſileretur) ſenſibilis & trepidans æger hoc audito ita conſternebatur, ut in ἔκλυσιν laberetur, eatenus tamen ſalutarem, quia exinde alvus per triduum obſtructa cum remisſione ſtricturæ abdominis ſolvebatur. Adminiſtrata hinc V.S. in brachio, pedilaviis tepidis adhibitis, datisque ſimul pulveribus ex coroll. r. lapid. ♋ c. cinnabar. item conſerv. roſar. quibus vehementiori tusſi præſente ſem. hypoſc. albi doſi parcâ junctum, potiunculisq; congruis, morbus tam feliciter ceſſabat, ut d. 20. hæmoptyſis ex toto, & dein quoque imaginaria tusſis phthiſica deſineret. Cæterum notabilis phæ-

nomeni, horroris nempe in toto & frigoris genuum ac pedum (quo in hæmoptysi sanguis ad thoracem mechanismo quodam congeritur) jam *Platerus* meminit *li. 3. Obs. p. m. 740.* dum scribit: *horrorem in toto corpore, maximè pedibus & genubus, in ejusmodi rejectionibus evenire solere.*

Observatio XXIX.

Hæmorrhoidum dolor calculum vesicæ mentiens.

EFfato celeberr. *Baglivii lib. 1. prax. p. 83.* hæmorrhoidum internarum dolores aliquando dolores calculi mentiuntur in vesica latentis, nisi quod hi multò atrociores & frequentiores sint quam illi, hinc etiam observamus in graviori hæmorrhoidum cæcarum dolore per sympathiam vesicam quoque stillicidio ☐ laborare, de quo conf. *Forest. l. 23. Obs. 6. p. 429. & Dodon. Obs. 50.* Idem in sutore in præcedenti observatione memorato eveniebat. Hic enim dum tam â cibis crassis, crudis & viscidis sibi non temperaret, quam frigus præsertim partium inferiorum crebrò susciperet, mense Martio A. 1703. in tumorem bubonum, & postea 19. April. in totalem ischuriam triduanam cum dolore & duritie circa vesicam incidebat. Consultus tunc me absente Pharmacopœus πολυπράγμων calculum

culum adeſſe ratus ℞ ☿ & purgans mittit, ſuccedit hinc ⊡ ſed tam viſcida, ut duci poſſet, ſubſidentque unà in fundo vitri citra arenulas corpora rotunda albicantia conſpicuæ magnitudinis (cujusmodi corpora teretia inſtar lumbricorum ſanguine leviter tincta in quodam mobili varicibus veſicæ non ſine maximo cruciatu laborante cum ⊡ emiſſa poſtea obſervavi, quorum etiam alicubi *Wedelius* meminit.) His ego viſis, perpenſoque quod æger plus vice ſimplici hæmorrhoides cæcas ſenſiſſet & facie viſeretur è flavo-virideſcente (qualis faciei color Foreſti judicio, adſtipulante ſæpe experientiâ, hæmorrhoidariorum quaſi proprius eſt) non calculum veſicæ, ſed hæmorrhoides latere penes me concludo, & ægro ediſſero, nec illud in vanum; emergebant enim, fluxu ⊡ libero prius reddito, d. 2. Maj. hactenus occultæ, jam verò oculo contemplabiles, hæmorrhoides cæcæ. Cæterum quod bubones hæmorrhoidibus complicentur, non inſolens eſt. Curavi enim eodem anno, menſe Aprili filium Zythopolæ 14. annorum, qui ex caſei frequentique ciborum frigidorum & dyſpeptorum abuſu colorem fuſcum totius corporis incurrebat, aderant ſimul dolores pectoris punctorii, tormina abdominis bubonumque tumor cum fluxu hæmorrhoidiali, quibus omnibus per medicamenta congrua ſublatis, color quoque

poſtea emendabatur. His ὡς ἐν παρόδῳ libatis, iterum ad noſtrum ſutorem redeat oratio! Pergens ille in abuſu caſei aliorumque dyspeptorum ac viſcidorum menſe Aprili A. 1707. tempeſtate frigidâ & ventosâ uxorem navi propinquorum inviſendorum causâ Berolinum proficiſcentem dum Glogaviam usq; comitari intendit, poſt frigus ſuſceptum Steinaviæ iterum totalem obſtructionem ⊡ ſtypticitati alvi junctam incurrit, quæ licet poſt inſeſſus & clyſmata injecta ceſſaret, tamen ⊡ pallida & aquoſa cum longis pituitoſis filamentis ſemper adhuc ut prius excernebatur. Tandem pravum victum non derelinquens, cum urina non alio quam memorato modo conſtituta, ſemper tamen arenulis priva, excerneretur, imò dimidio anno ante mortem involuntariè, quamvis ſemper cum dolore preſſorio, exſtillaret, menſe Auguſto Anno 1711. poſt appetitum â longo tempore debilem, in morbum, quem ſtatim feralem futurum prædicebam, labebatur, comitabantur enim illum virium magna proſtratio, pulſus debilis, extremorum frigus, vomituritio, ſingultus ſpaſmodicus, tumor pedum, ⊡ cum dolore preſſivo glutinoſa & viſcida ſtillans, tandemque in fine morbi ſedes brunnæ & cruentæ, quæ ſymptomata die morbi 10. mors excipiebat. Quia igitur ego (inductus partim arenularum perpetua abſentia, par-

tim

tim indole doloris, dum æger adhuc in articulo mortis magis imo unicè de pressorio quam acuto dolore, & quidem his verbis ultimo ie nehmt mir doch den Keil weg/querebatur) nunquam calculum vesicæ, ast solùm circa collum vesicæ callosum quid latere edixeram, æger unicè de calculo persuasus sponte vesicæ sectionem unâ vel alterâ die ante mortem, cum expressa clausulâ de sola vesica aperiendâ, desiderabat. Discisâ itaque vesicâ (quæ angustior & crassior solito comparebat) ecce dum uxor & uterque gener, è quibus unus litterario gravi officio fungitur, calculum expectant, ne quidem arenula in toto latifundio, ast ut sagaci conjectura prædixeram, circa collum vesicæ interius utrinque tumor durus se exhibebat, qui discissus similem materiam glutinosam, qualis cum ⊡ excreta, sistebat. Conf. simil. cas. apud. *Bonett. Anat. Pract. l. 3. sect. 24. Obser. 10. §. 8. Obs. 12. §. 10. Obs. 18.* inprimis *Reiselius Dec. 2. Misc. Nat. Cur. Ann. 2. Obs. 114.*

OBSERVATIO XXX.

Fonticulus naturalis annuus periodicus fonticulo artificiali exsiccatus.

VEre naturam despumare & morbos salubres plurimos tunc excitari notum est. Id deprehendit in se fœmina temperamenti

cholerico-ſanguinei, hæc in plethoram cacochymicam per diætæ & vitæ generis rationem incidens cum poſt ſemilaxationem pedis dextri olim ganglion reportaſſet, illo reſciſſo eodem loco tumor durus ovi gallinacei magnitudine ſuccrevit, qui ſequente vere ſponte apertus poſt effluxum fœdæ materiæ, (wie Krõten Gerecke) dein diſparuit, ita tamen ut per quinque annos ſucceſſivos quolibet vere iterum extuberaret, & pari modo ſpontè aperiretur. Aſt cum â chirurgo quodam folliculus penitus exciſus eſſet, in poſterum quidem periodica vernalis protuberatio deſiit, ita tamen ut poſtea vehementes lancinatorii dolores illud crus & pedem invaderent, qui fonticulo per artem in crure illo excitato poſtea in perpetuum deſiere, claro documento, quantum uſum fonticuli, in ſpecie etiam ulceribus curandis præſtent.

OBSERVATIO XXXI.

Spaſticæ tractiones artuum â nimiâ doſi Tincturæ bezoardicæ.

QUantum in proportione moventis ad movendum ſitum ſit, ratio & experientia paſſim docet. Si enim in corpore ſtrictiori craſſisque ſuccis prædito, adeoque ad motum præcipitem indiſpoſito fortior animi corporisque motus inſtituatur, aut ſucci minus ſequa-

ſequaces medicamento calidiori impellantur, neceſſitate quadam dolores, tumores, inflammationes, hæmorrhagiæ, aliique nimii fluxus, tremores, tenſionesque artuum, quin epilepſiæ ipſæ & apoplexiæ, & qui non alii morbi facillime conſurgent. Juvenis ſutrinæ addictus temperamenti ſanguineo-melancholici, habitus macilenti, acidis lubentiſſimè & frequentiſſimè gaviſus, adeò ut acetum in copiâ ſorberet, exindeque ſudoribus largis noctu & interdiu obnoxius fieret, poſtquam ſocio ſuo cum febri malignâ epileptico miniſtrans prophylaxeos causâ integrum vitrum ℞ bezoardicæ ex officinâ petitum unâ vice exhauſiſſet, epilepſia ſubitâ ſocii ſimul territus, mox laſſitudinem, cephalalgiam, tenſionesque & tractiones omnium artuum & membrorum vagas incurrit, propinatis pulveribus ex cinnabar. corall. r. dent. hippop. eſſent. ſucc. caſtor. c. ♎. cochlear. & ⊖ ✻ paulo quidem tenſiones illæ remittebant, multò verò magis poſt ſcarificationem inſtitutam; aſt quia levius licet, pertinaciter tamen adhuc, per plures dies continuabant, poſt 3. Sept. V. S. celebrabatur, quâ in brachio ſiniſtro factâ mox eo latere tractiones illæ deſinebant, quæ tamen dextrum latus adhuc infeſtabant: propinato verò ſucco lumbricorum cum inf. theif. ex rad. helen. h. trif. fibr. ſerpill. fl. anth. circa quartam â primo

mo inſultu hebdomadam liber ferè ab iis reddebatur, penitus verò ipſum abſolvebat diarrhœa, aphthæ & tandem d. 18. Sept. (cum medio Julio morbus cepiſſet) puſtulæ pruriginoſæ ſupervenientes.

Observatio XXXII.

Catalepſis.

INter rariſſimos affectuum merito catalepſis collocatur; quo de morbo ſub tit. *de catalepſi rarisſimo affectuum* Magnif. *Wedelius diſſertationem* edidit. Mihi ex relatione fœminæ cujusdam probæ & candidæ, quam aliquando ſub cura meâ habebam, ſequens caſus de ſua cognatâ narrabatur. Ancilla 18. annor. quæ olim epilepſiâ laboraverat, memoriæ acris, fixæque phantaſiæ, arithmeticam edocta ab aliquot annis unicè ferè circa menſium tempus catalepſi prehenditur. Affectus ipſam ubicunque locorum ſit corripit, ſtat tunc inſtar ſtatuæ marmoreæ, ſui ignara, oculis apertis membrisque eodem ſitu, quem cùm cataleptica fit, obtinebant rigentibus. Menſæ aſſidens, brachiumque ad juſculum capiendum extendens non prius cochlear cum manu rigente ad ſe retrahit, quam cum ex hoc ſomno vigilante emergit. Cognata illius, quæ mihi hæc de ipsâ referebat, aliquando in via publicâ ipſam oculis irretortis

inſtar

inſtar marpeſiæ cautis rigentem offendit, obſervans cum ex hac ecſtaſi eluctatur, quod poſt profundum ſuſpirium oculis ferocibus caput ad utrumque latus contorſerit, epilepſiæ ſupervenientis indicio. Ipſa ægra ob longitudinem morbi admodum contriſtari dicebatur. Similem catalepticum affectum in quodam Paſtore oppidano obſervavi. Is habitus macilenti & temperamenti cholerico-melancholici inveterato malo hypochondriaco laborans, cum aliquando inopinatum incendium in ſuâ domo ortum eſſet, ad ejus rumorem, è veſtigio in ſtatuam vivam mutatus, apertis oculis non videns, nec auribus ſuorum clamores percipiens rigidus aliquandiu ſtetit. Quanquam igitur affectus hic amplius non rediret, tamen ex hoc terrore aliisque cauſis tremorem manuum incurabilem incurrit.

OBSERVATIO XXXIII.

Cachexia â ſuppreſſione menſium brevi ſublata.

QUantopere doctrina de tono partium â celeb. Stahlio tam clarè & plene dilucidata medicam artem illuſtraverit, omnes attenti medici animadvertunt, & qui boni ſunt non ſine encomio viri deprædicant. Utut enim in ipſo jam Hippocrate textus inſignis ad

ad hoc negotium ſpectans lib. de locis in homine §. 15. legatur, quando ſcribit: fluxiones propter frigus fiunt, cum caro in capite & venæ tenſæ fuerint. Hæ enim horrente carne & ad anguſtias perveniente adſtrictaque & excludente humiditatem exprimunt. Et ſimul carnes ipſæ contra exprimunt ad anguſtias pervenientes, & capilli ſurſum erecti fiunt, utpote ſimul undiquaque fortiter compreſſi. Quicquid igitur inte expreſſum fuerit, id ipſum quoque quocunque contigerit fluit: Inſuper Truſton. de reſpirat. p. 25. motus corporis ſyſtaltici meminerit, quo, ut ſcribit, partes ab influente ſanguine paululum diſtentæ factâ undique leniſſimâ compreſſione ſubſidunt aliquatenus & ſe reſtituunt, adeoque ſanguinis motum verſus cor remeantis promovent & adjuvant; Tamen & hodie poſt inventam â *Colono* Americam quidam jam in Platonis Atlanticâ hanc magnam mundi plagam ſibi reperiſſe videntur. Sane non poſſum mihi temperare, quin quâ mothodo naturæ medicamentis adjuta in quadam cachectica ſe à ſeroſâ colluvie mediante tonicâ conſtrictione liberaverit, recenſeam. Ancilla 30. annorum melancholico-phlegmatica, hypocauſtum ſitu madidum inhabitans, acidis diu abuſa, poſt perfrigerationes totius & imprimis inferiorum partium in parcitatem menſium delapſa, inde hæmoptyſi men-

menſtruæ menſes ſemper præcedenti obnoxia fiebat, â qua licet opera mea vindicata, non multo tamen interjecto tempore ex eadem causâ ulceribus manuum, & iterum alio tempore eryſipelaceis, jam ad gangrænam vergentibus manuum inflammationibus ſubjiciebatur. Tandem verò concepta ex elatione panni menſtruatæ nauſea in catameniorum ſuppreſſionem iterum incidens, cachexiam incurrebat, tumentibus pedibus & toto cum dyſpnœa anxiâ inflationeque ventriculi. Datis igitur ℞ ♂ hellebor. c. arc. ♀ & poſtea ℞ ♂ hellebor. volatili obſervavit ſe quam primum priori mixturâ uteretur ſtatim faciem præ figore conſtrictam pallidiorem evaſiſſe, hinc decubitum ſeri non ſine inclinatione in ἔκλυσιν verſus inferius clima manifeſte ſenſiſſe, cumque per triduum hæc phænomena continuarent, omne ſerum in habitu corporis ſtagnans frequenti ⊡ emisſione ita evanuit, ut ægra quæ non ſibi ſolùm, ſed & adſtantibus mortem oppetitura viſa fuerat, perfecte reſtitueretur.

Observatio XXXIV.

Auditus difficilis ſiccatis lacrumis factus, iisque iterum erumpentibus ſolutus.

FOeminam pauperem culinæ in conviviis nu-

nuptialibus inſervientem aliquando curabam: Hæc 46. ann. temperamenti cholerico-melancholici olim maniaco, poſtea melancholico affectu laborans, circa feſtum paſchatis A. 1701. δυσηκοίαν ſex ſeptimanis durantem incurrebat, inde enatam, quod lacrymarum familiarium rivus ſiccaretur, iis enim poſtmodum iterum largiter fluentibus mox illa auditus difficultas deſiit.

OBSERVATIO XXXV.

Hæmorrhoides veſicæ menſtruæ.

HAemorrhoides ani menſtruæ ſicut non adeo raro obſervantur, ita easdem menſtruatim ê veſica prodire inter rariora recenſeri meretur. Socius quidam opificii figulini homo pallidus (ut ſunt cachexiæ huic opificino valde expoſiti) ab ineunte pueritiâ ad 26. ætat. annum, quo obiit, quâvis menſtruâ periodo cruorem ex veſicâ emittebat, quod mihi hominis quondam familiaris, poſtea ſenior illius tribus, referebat.

OBSERVATIO XXXVI.

Humor frigidus evomitus cardiogmum diuturnum ſolvit.

HUmores actu frigidos aliquando excerni plures obſervarunt auctores. Ita

A. VI. Dec. 1. Misc. Nat. Cur. Observat. 26. agitur de ⊡ actu frigidâ & de simili *Dec. 2. An. X. Obs. 196. Dec. 1. A. 3. Obs. 184.* nares leguntur stillase ▽ ad tactum frigidissimam, quæ hemicraniæ fuerat autor. De mensibus frigidis consule *Dec. 1. An. IX. Obs. 76. & Obs. 188.* de fœmina scribitur, quoties ulcus cruris alterutrius (quod ipsam â magnis doloribus alibi vindicabat) consolidaret, toties intensum adeò frigus in hypogastrio sensisse, ac si nive impletum esset, cum sensibili ad tactum frigore, imo humores illi sub specie fluoris albi utero exeuntes adeo frigidi fuisse scribuntur, ut nivem solutam æmularentur. *Dec. 2. A. 4. Obs. 138. 139. & 140.* sanguinis apoplecticorum frigidi, sanguinis ê naribus frigidè stillantis, & ⊡ frigidè emissæ fit mentio. De urinâ intense frigidâ & ejus causâ conf. *Borrich. Vol. 5. Act. Haffniens. Obs. 70. Mortonus in prolegom. de morb. acut. p. m. 24.* testatur itidem in horrore febrili se sanguinem V. S. emissum instar ▽ fluentis frigidum observasse. Ego postquam ancillæ, (quæ post varios fœtores susceptos, rapasque & olus in copiâ frequenter assumtum in cardiogmum pertinacem per 12. Sept. durantem, & sapore oris tetro cepas æmulante cœliacâque comitatum inciderat, emeticum ex ♀ emet. gr. jiß. & ♀ ⊖l. gr. &c. dedissem, quater copiosè vomuit saburram, quam inter vomendum actu frigidam fuisse

E sensit,

ſenſit, moxque circa præcordia bene habuit, ventriculo poſtea etiam ſuum opus feliciter abſolvente.

OBSERVATIO XXXVII.

Venæſectionis in oppreſſione virium utilitas.

SApienter ſcribit *Holler. in ſchol. ad ſect. 1. aph. 9. plenitudo quoque affert pulſum languidum & prope nullum, ubi tamen perſpecta eſt imbecillitatis cauſa apertâ venâ ſtatim reviviſcit pulſus.* Quia nempe juxta *Bonett. l. 1. Anat. pract. ſect. 1. Obſ. 1. in plethoricis corporibus dempto ſuperfluo commeatusque libertate reſtitutâ arteriæ ſyſtoles & diaſtoles munia felicius explent, unde facilius & liberius micant.* Vidi hoc in nobiliſſimâ quâdam matronâ. Hæc 46. annor. habitus macilenti cum magnis vaſis olim largisſima menſtrua experta, poſtquam eadem ex gravibus multisque triſtitiæ & curarum occaſionibus deſiiſſent, quovis menſe dolorifica molimina patiebatur. Cum igitur initio Martii A. 1703. eadem ingraveſcerent, ſtipata vertigine, pallore faciei macilento, rigidâ cervice, ſiccitate faucium, δυσπνοία, anguſtiâ & presſione circa pectus, pulſu tardo & debili, ſtypticitate alvi, animique dejectione, ego fruſtra adhibitis medicamentis dùm oppreſſam magis ſarcinâ ſanguinis, quàm exhau-

haustam naturam perpendo, ægræ venas eductione sanguinis ex pede vix deplere aggressus, altero mox die turgidam faciem, auditum restitutum, serenitatem mentis redeuntem, fauces humentes, pulsumque magnum & plenum lætus deprehendo, hinc cum infuso laxante alvum adhuc expedivissem, omnia reliqua symptomata simul feliciter evanescebant.

OBSERVATIO XXXVIII.

Tubercula faciei diversi coloris menstrua.

QUas tragœdias agitatus sub commotione menstruâ exitumque per uterum non inveniens sanguis excitet, hæmorrhagias per loca incongrua periculosas, doloresque & spasmos subinde diros excitando, norunt omnes practici. Sunt tamen & casus, ubi ex indole temperamenti, animique habitu torpido stases periodicæ indolentes menstrua vel parciora, vel solum adhuc molientia periodicè præcurrant. Hinc videas non rarò unam vel alteram maculam aut pustulam diversis in locis ceu notam erupturorum mensium efflorescere. Insignius tamen mihi observabantur in quadam senioris sutorum filiâ 16. ann. hæc melancholico-phlegmatici temperamenti, alvi morantis & siccæ, cum fre-

quenti ciborum frigidorum, fructuum horariorum, & panis largiori uſu, multâque inferiorum refrigeratione, (ancillæ enim vice matri in culina ſerviebat) viſcidam ſanguinis διάθεσιν contraheret, (quam imprimis ſcarificatio matris conſilio inſtituta manifeſtabat, quippe qua loco rubicundi ſanguinis merus mucus albicans & viſcidus educebatur,) menſtruatim in æſtate rubicundis, in hieme lividis latis tumentibusque maculis totâ facie deformabatur; ubi notabilis erat circumſtantia, quod circa tempus quavis quarta ſeptimana molientis, ſed exitum non invenientis fluxus menſtrui uno eodemque tempore inferiora cum alvo ſtyptica frigerent, è contrario verò unà caput â dolore non immune æſtuaret. Poſtquam igitur diuturnæ commaculationis menſtruæ tædio correpta me in vere conveniret, ſumto vino medicato ex rad. ari, bryon. bardan. h. fumar. capill. ♀. hepat. nob. hyſſop. fol. ſenn. fib. helleb. nig. rhabarb. coſto vero, & ♀ ♀riſ. parato menſibus fluentibus ſenſim penitus ab hac deturpatione faciei menſtruâ liberabatur. Conf. ſimilem caſum apud *Bartholin. Cent.3. Hiſtor. 72.*

OBSER-

OBSERVATIO XXXIX.

Tertiana gravida.

LIcet Hippocraticum effatum, quo pronunciat gravidam morbo acuto corripi funestam esse, non semper veritati consentiat, dum mihi ipsi gravidæ anginâ & pleuritide exquisitâ, imò petechiis laborantes, salva propria & fœtus vitâ curandæ obvenerunt, interim periculi metum non parum medicis incutiunt. Ut igitur junior saltem medicus specimen aliquod profligatæ febris præ oculis habeat, en casum sequentem delineo. Fœmina honesta 21. ann. habitus macilenti domi dum degeret in acidorum viscidorumque abusu non parum delinquens, hinc impeditum dolorificumque fluxum menstruum, variaque pathemata hypochondriaca, tandem ante 2½ ann. quartanam non parum refractariam incurrit. Inito postea matrimonio cum in septimum mensem gravida animo ex calumniis perpessis fortiter commoveretur, d. 16. Jun. circa vesperam horripilabat, æstu subsequo brevi sudore finito, ast d. 18. mane paroxysmus cum horripilatione leni accedens majori ac per totum diem durante æstu excipiebatur, aderant unà anxietates præcordiales, palpitatio cordis, lumborum lancinatorii artuumque vagi dolores, pruritus etiam,

ac tempore æſtus maculæ ſcorbuticæ efflore-
ſcebant. D. 19. circa veſperam paroxyſmus
pari modo rediens, inſuper vomitum aſciſce-
bat, ⊡ erat flammea cum ſedimento lateri-
tio. Hodie igitur pro conſilio vocatus cu-
ram ordiebar nodulo ex rad. plantag. cichor.
herb. ſcord. card. bened. ſum. fumar. cent.
min. fol. ſenn. rhabarb. agar. troch. cinn. co-
ſto vero & ☿ ☿riſ. de quo die *ἀπυρεξίας* bis
utebatur. D. 21. circa quintam veſperi ac-
ceſſio fiebat ſine omni quaſi horrore, ſtipata
iterum palpitatione cordis, anxietate præcor-
diali, inclinatione in lipothymiam, vomitu,
dolore lumborum & artuum, ſolummodo
aberant tubercula prurientia, ⊡ non amplius
ita rubra ochreum copioſum ſedimentum de-
ponebat, paroxyſmus acrior erat cæteris 12.
hor. durans; ut verò & febri fœtusque debi-
litati medicarer, quavis ſexta hora ex ∇ fl.
acac. meliſſ. card. ben. & cinn. pulverem qui
arcan. dupl. ʒ d. cinn. elect. gran. kerm. &
cinnab. nat. conſtabat ſumendum, ventri ve-
ro balſam. embryon. c. pan. mellit. Thorun.
imponendum curabam. D. 23. paroxyſmus
horâ 3tiâ cum forti horrore ingruebat, vomi-
tum efficiens, inde anxietas & lipothymia
præcordialis alii duplici vomitui (quo viſcida
pituitoſa excludebantur) præambulabat, ſuc-
cedebat etiam alvus, horâ 7mâ æſtus ſudore
finitus nocte quieta excipiebatur; porrige-
batur

batur hodie in paroxyſmo potio ex ▽ fl. acac. puleg. rub. id. meliſſ. cinn. borr. polyophel. mat. perlar. dent. hippop. lap. ♋ gran. kerm. cinnab. & ſir. fl. tun. partes quoq; dolentes ♌ formicar. lumbric. ſerpill. & roſmar. demulcebantur, inſuper pulvis prædictus repetebatur. D. 25. paroxyſmus mane hor. 10. cum magno frigore, dolore lumborum & artuum, vomituque pituitæ & in fine æſtus effuſo ſudore accedebat. D. 26. ⊡ citrina clara & ſ. n. motus fœtus debilis, vertigo aderat & tinnitus aurium. Hinc ordinavi mixt. febrif. c. eſſent. lign. al. & ℅ caryoph. it. conf. alk. inc. c. corall. cinnab. gran. kerm. elæoſacch. cinn. & ſir. fl. tun. D. 27. horror. â 7. ad 8½ durans bilis vomitui præcedebat, dolor artuum redibat, â ſudore languebat. D. 28. ⊡ conſtanter ſ. n. ordinatum electuar. ex cort. peruv. ⊖ abſ. cinn. caryoph. mac. c. ſir. fl. tun. quod quâvis ſexta horâ repetebatur. D. 29. paroxyſmus ſextâ accedens mitior ad 10. durabat, ſub horrore tamen vomituritio ægram, ut hactenus ſemper factum, affligere non deſinebat. Interim cum in uſu electuat. perſiſteret, d. 1. Jul. ſolum palpitabat cor cum dolore lumborum, d. 3. appetitus redibat, dolorque aderat interſcapularis, cum vero ſumto electuar. vomituriret, pulvere die 21. & mixt. d. 26. ordinatâ in poſterum adhibitis plenè convaluit, feliciter ſanum filiolum

postea pariens. De salubri usu pulverum mixturarum & infusorum febri fugo-laxativorum cum vino factarum in tertianis gravidarum conf. Dec. 3. Misc. Nat. Cur. A. 3. Obs. 44. p. 52.

Observatio XL.

Fluxus aurium serosus diarrhœâ solutus.

PUrgantia capitis auriumque affectibus apprimè prodesse, quotidie experimur, & quidni, cum natura ipsa illas partes sæpe per diarrhœas spontè suscitatas soletur. Infans 2. annor. fluxum aurium serosum cum otalgiâ expertus, postquam per unum alterumq; diem, citra tormina vel æstum, per alvum, motu naturæ critico cruento-saniosa dejicerentur, mox ab illo fluxu auriumque dolore, salutari hac diarrhœâ, vindicabatur.

Observatio XLI.

Dolor ischiadicus & ophthalmia succo lumbricorum ∇strium discussa.

FRustra sumus nonnunquam â tortura ignis cum majore splendore & gratia prodeuntia medicamenta nativis suâ indole simplicioribus & sæpe ingratioribus præferentes. Virtutis enim ἐνέργεια, quâ multa simplicia magno

magno ſæpe labore & impenſis arte parata antecellunt, facile nitoris & gratiæ defectum complere deprehenditur. Clarum facit hoc etiam ſuccus lumbricorum; hic enim quamvis â candido, nec ſimplicium alioqui hoſte, celeberrimo Ludovici ſemiruſticum medicamentum cluat, tamen facile quivis deprehendet, etiam hunc ipſum aliis lumbricalibus chymicâ arte paratis medicamentis faſtum facere. Sanè ex quo tum alibi, tum in noſodochio Dnn. FF. Miſericordiæ hunc ſuccum ἐγκαίρως & præmiſſis aliis in frequentiorem uſum traxi, expertus ſum quantopere arthritide tortos egregié demulſerit: ⊖e enim ſuo volatili penetrantiſſimo adeo ſerum ⊖ibus peregrinis fœtum per poros ſub effuſo ſudore expellit, ut ſæpe purpurâ effloreſcente articuli dolentes â tyrannide ſalium ſubito leventur & liberentur. Experiebatur hanc felicitatem quidam Generoſus Eques antea non ſemel ab hæmoptyſi mea operâ vindicatus; hic cum Menſe Majo iſchiadico dolore cum ophthalmiâ complicato vexaretur, in memoriam revocans, quod quidam ſuorum ſubditorum ſuaſu meo arthritidem hujus ſucci vi â ſe depuliſſet, ejus quoque vires in ſe experiri ſtatuit. Exitum requiris, is ſaluberrimus erat, fugabatur enim hujus ſucci laudatiſſima efficaciâ ſimul & dolor iſchiadicus & ophthalmia. Pariter unius ex primariis

urbis nostræ verbi divini ministris uxor post varia frustra adhibita, tandem gravissimam suam odontalgiam rhevmaticam hujus succi haustu feliciter discutiebat. Certè liceat hanc observationem historiâ â Foresto l. 19. Obs. 37. in scholio recensitâ sigillare. Ægrotabat Magnus Imperator Carolus V. hydrope, cum itaq; omnibus frustra datis Archiater Cæsareæ Maj. Bæslorpius se unum remedium habere diceret, sed eo potius malle in rustico, quàm in Imperatore uti. Ad hæc magnanimus Imperator respondit, cogita te rusticum præ manibus habere, modò Imperatorem ita curaveris.

Observatio XLII.

Tumor rubicundus nasi genarumque & oculorum rubor subitò hæmorrhagiâ nasi solutus.

JUvenis Hungarus εὔχροος & εὔσαρκος mercaturæ addictus, cùm Presburgo huc venisset, mense Majo tumorem nasi rubicundum, genarumque unâ, cum rubore oculorum doloreque tensivo colli dentiumque incurrebat. Quia igitur hæc molimina erant ad sanguinis exitum pertinentia, ut Stahlius loquitur, licet tùm nondum eò pertingentia, exundante per nares in viciniâ stagnante sanguine mox ab omnibus his symptomatibus liberabatur.

Obser-

Observatio XLIII.

Apoplexia ſanguinea hæmorrhagiâ narium diſcuſſa.

QUi V. S. in plethoricis urgent, huicque generoſo ut vocatur auxilio præcipua deferunt, ſanè naturam ducem meritò ſequi dicendi ſunt. In præcedente obſervatione ægrum vidimus à rhevmatiſmo in exterioribus partibus capitis ſtagnante hæmorrhagiâ narium liberatum; in præſente occurret alius â ſtagnatione in cerebro ab apoplexiâ ſpontaneo narium cruento fluxu vindicatus. Is ſcilicet erat Generoſus quidam Eques ſenex, hic cùm ob ſtatum plethoricum ſolenniter phlebotomo venas turgentes vacuaret, hoc auxilio aliquando ad tempus diutius dilato id effecit, ut non ſolum brachii vena eductioni ſanguinis ſolenni deſtinata valde turgeret, ſed etiam totum brachium ſanguine ſuffuſum cerneretur. Cumque poſtea menſe Aprili in campo œconomicis curis intentus exſpatiaretur, ſolus exiſtens, ἄφωνος concidit. Hinc cùm ad ululatum moloſſi oves Domini cuſtodientis homines accurrerent, æger hæmorrhagiâ narium copioſa exortâ in tantum quidem ad aliquot menſes reſtitutus fuit, ut tamen in fine menſis Auguſti fortiſſimâ iterum apoplexiâ tactus moreretur.

OBSER-

Observatio XLIV.

Febris ſynocha hæmorrhagiis & maculis rubris ſoluta.

Notum eſt apud auctores practicos pro curâ febris ſynochæ, quippe ad ſinceram exonerationem criticam bonæ partis ſanguinis pertinaciter inclinantis, venæſectionem admodum commendari; obſervarunt enim ſecta venâ non rarò ſimul & ſemel æſtum ſynocharum planè deferbuiſſe. Interim dum ſæpe circumſtantiis urgemur, (inter quas ætas impubis noſtratibus ex more legem â phlebotomo temperandi imponere ſuevit) tam efficax ſynocharum auxilium nolentes volentes aliquando negligere cogimur. Ut igitur junioribus practicis pateſcat, quibus methodis natura venæſectionis adminiculo deſtituta pro ſui â nimia ſarcinâ ſanguinis liberatione impetrandâ in febri ſynocha utatur, en ſequentem caſum communico. Filia mercatoris noſtratis, 11. annor. temperamenti ſanguineo - melancholici, habitus carnoſi, faciei prærubræ, diſpoſitionis hæreditariæ hypochondriacæ, domi nudis brachiis in libero aëre verſari ſueta, A. 1707. vere exiſtente frigido & ventoſo d. 29. April. manè febricitare incipit, ſubinde delirans, perque intervalla vomens, cùm dolore hypo-

pochondrii ſiniſtri. Vocatus ego eodem & ſeq. die pulver. ex. lap. ♋. ♁ d. arc. d. ⦶ & cinnabar. item potionem ex decocto C.C. c. ſcor. citri, &c. ordino. d. 1. Maj nox inquieta, quâ vigeſies fermè, licet citra omnem ſucceſſum, ad dejiciendum ſtimulabatur, inteſtinorum aderat murmur, flatuum aliquando excretio, in hypochondrio ſiniſtro dolor fixus & conſtans, tuſſicula, æſtus, & ſitis major, lingua albo muco obducta, puſtula circa os, ⊡ ſ. n. cùm ſuſpenſione & rubro, tàm in fundo, quam ſuperficie, natante ♀ro; in uſu itaque dictorum pergebatur, quibus gargariſma inſuper adjunctum; poſt tertiam â meridie major ægritudo cum virium aliquali debilitate, madebant volæ manuum: data tunc eſſent. alexipharm. Stahl. cujus tamen uſum neglexerunt. D. 2. nox ferè inſomnis, ſubinde ê lecto ſurgens, ſalvâ tamen ratione, in hypocauſto obambulavit, ab alvo feculenta excreta, reliqua eadem: propinata potio ex ▽ ſcabioſ. cardu. ben. cerefol. papav. rhead. cinn. borr. ſir. papav. rhead. datus etiam pulvis pleurit. Wedel. ſ. op. c. ⦶ & eſſ. citri ſicc. circa veſperam per narem ſiniſtrum multum cruoris coagulati excretum, ſudavit cum levamine, per alvum tenuia prodibant, ⊡ rubra turbata, craſſum ſedimentum deponens. Notabile erat, hodie mane ipſi pedes ita alguiſſe, ut vaſculum, quo lecti calefiunt, iis apponi

poni poſtularet, licet reliquum corpus æſtuaret, dolor priori loco relicto in alium migrabat, ſacculi ex flor. chamom. & melilot. dolenti parti adhibiti. D. 3. benè dormivit, manè iterum narium hæmorrhagia & rejectio cum tuſſ. pituitæ flavæ cum ſanguineis ſtriis ſecuta, exulceratio oris; dorſum dolore affectum. D. 4. benè dormivit, per nares iterum ſanguis craſſus ſine fermè guttulâ ſeri effluxit, ſemper in uſu lap. ♋ ♄ d. c. ☽. continuabatur, præter reliqua. D. 5. iterum narium aliqua cruentatio, manè vomuit, dolebat ventriculus, â meridie in brachiis, dorſo & cruribus maculæ rubræ efflorebant, data eſſent. alexipharm. & reliqua. D. 6. adhuc plures erupere. D. 7. poſt uſum eſſent. alexiph. inſignia tormina in ventriculo ſentiebat, per bonum temporis ſpatium, poſtea vomens, maculæ & tubercula rubra & confecta cum pruritu dictis locis durabant: datum decoctum rad. ſcorzon. ſiliquar. c. raſ. C.C. veſperi iterum vomuit. D. 8. manè ſudavit, maculæ ut heri, ob ſcybala ſicca & tormina abdominis adhibitus clyſter, quo multa viſcida pituita prolecta: hinc datum ♄ ♂ c. lap. ♋. cinnab. item eſſent. ſcord. lignor. D. 9. pulſus hodie non amplius febrilis, puſtulæ & maculæ indies copioſius erumpebant, magisque prurientes. D. 10. optimè dormivit, (quod aliquot noctibus non factum) tormi-

na

na & preſſio in abdomine ceſſabant, cum macularum & puſtularum diſcuſſione in brachiis, quæ tamen d. 11. in dorſo cruribus & pedibus multiplicabantur, in lecto decumbenti punctiones cauſantes, â meridie verò crura & pedes maculis latioribus rubro-brunnis inſtar panni ſcarlatini obducebantur, imo in dorſo pedum aliquæ elatiores adeò fuſco colore non ſine pedum tumore viſebantur, ut mater gangrænæ metum conciperet, quod fortasſis factum, quod ægra hodie extra lectum in domicilio eventilato ſubſtiterat; interim pergendo in uſu dictorum, d. 12. maculæ flaveſcebant, redeunte appetitu & integrâ ſanitate; finem curæ evacuante concluſi.

Observatio XLV.

In unâ graviditate varices bis ſpontè apertæ, & ſimul bis venæſectio celebrata.

QUam inſigniſſimum auxilium abortus præcavendi in plethoricis ſit venæſectio, toto die loquitur experientia, & videtur ſane natura, optima morborum medicatrix, digito intento variis hæmorrhagiis ſalubriter ſpontè excitatis viam phlebotomo præmonſtraſſe, tum aliis in ſubjectis, tum ipſis gravidis. Urgebatur Conſultisſimi apud nos Advo-

Advocati uxor gravida carnosi & torosi habitus, adeò plethorâ, ut quamvis d. 3. Junii A. 1709. tertio circiter mense venam meo suasu laxaret, non suffecit tamen arte paratum vulnusculum naturæ onus sanguinis amplius â se moliri intendenti, unde aliquot septimanis interjectis, initio quidem solum ex pustulâ crurum varicosorum aliquoties tantum sanguinis, quantum unum alterumque cochleare capere posset cum solutione lassitudinis crurum exstillavit, postea vero d. nempe 23. Aug. & iterum d. 4. Sept. eâ copiâ ex eadem venâ emanavit, ut justæ V.S. locum impleret: quin cum d. 5. iterum V. S. celebrarem, pauci præteribant dies, cum denuo non jam ê varicosa pustulâ, sed per venæ prius apertæ jam clausæ orificium spontè apertum sub silentio noctis cruentus rivus per brachium dormientis decurreret, nec matre tamen nec fœtu ullatenus inde debilitato, quin læta d. 16. Decembr. puerpera reddebatur, cujus sinum sub & post partum itidem copiosa sanguinis unda proluebat. Hinc facile credi potest *Mauricæo* referenti *l. 1. c. 11.* se cuidam fœminæ in unâ graviditate 48. vicibus sanguinem misisse, pariterque *Stalpartio van der Wiel*, qui *l. 1. Obs. 65.* uni eidemque gravidæ in eadem graviditate 49. vicibus venæsectionem administravit.

OBSER-

Observatio XLVI.

Diapedesis sub alis, inter pollices pedum & in dorso manus venæsectionem præcurrens.

UT magis pateat superabundantem sanguinem claustra quâ via datur perrumpere, rarum exemplum diapedesis sisto. Senator in nostrâ urbe benè meritus, jam 66. ann. temperamenti sanguineo-cholerici, habitus carnosi & εὐχρόου, qui ante 22. ann. nondum tum V.S. expertus, quovis anno circa æquinoctia congestiones ad caput cum cephalalgiis æstuosis experiebatur, id tum quoque sensit, ut simul sanguis serosus sub alis & inter digitos pedum transsudaret; hæc igitur ex ipso tunc temporis cognoscens, venæsectionem commendavi, quâ annuatim circa ver postea celebratâ, & cephalalgia & diapedesis cessabat. Senatorio vero collegio postmodum ante aliquot annos adscriptus, cum ratione officii sessioni magis assvescere cogeretur, ultimisque annis & crebrius vino uteretur, & sanguis ex senii indole magis spissesceret, litandum quoque erat circa autumnum sanguine, cujus nimia copiâ depletus athleticè hactenus vivit, nisi quod non semel deprehenderit si tam salubre prophylacticum longius ob impedimenta differatur,

F san-

ſanguis per dorſum manus transſudet & lintea tingat.

OBSERVATIO XLVII.

Venæſectionis in parte affectâ inſtitutæ ſucceſſus.

FRuſtra ſumus nonnunquam vel ſolis diaphoreticis & reſolventibus, vel ſolâ revellente venæſectione ςάσιν ſanguinis disjicere conantes. Quin venæ ipſæ circa loca obſeſſa extuberantes nos ut ipſas pergurgamus evidenter indicant. De quo caſu ſicut utiliter *Severinus part. 2. Chirurg. efficac. c. 34. & 36.* egit, ita ſequentes duæ obſervationes id evidenter demonſtrant. Textoris ante portam oderanam uxor ſanguineo-melancholica, cum d. 30. Sept. A. 1694. ſub laborioſo partu violentam imperitæ obſtetricis manum experiretur, tumorem vulvæ cùm lochiorum & ⊡ ſuppreſſione incurrebat; jungebatur eidem affectus febrilis, gravisque genu ſiniſtri dolor. Venæſectionem â me in pede ſuaſam patiens negligens equidem ſequentibus utebatur (1) ℞ bezoard. Wedel. eſſ. myrrh. elix. uter. (2) pulv. bezoard. Wedel. c. lap. ♋ ſem. lycopod. cinnab. (3) infuſum ex radic. Zedoar. herb. meliſſ. cerefol. fl. anth. anthophyll. rhabarb. myrrh. & croc. (4) cataplaſma emolliens pro vulvâ. (5) liniment. nervin.

pro

pro genu. (6) fotum ex allio cum cepis & cerefol. pro veſicâ, quibus etiam efficiebatur, ut tumor rumperetur, ☐ proflueret, & febris ceſſaret; interim cum deinde crus etiam & pes ſiniſter tumore, varicibusque & papulis pruriginoſis obſiderentur, ac ἀκινησία ſtupida ſuccederet per 7. ſeptimanas, his miſeriis afflicta tandem animum monito meo applicavit, venæque apertionem in pede affecto non tam cito fieri curavit, quam ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον tanquam â faſcino ab omnibus hiſce ſymptomatibus plenè liberaretur. Sanguinem verò ajebat non rubicundum humorem, ſed crudum quendam omnis ruboris expertem laticem exſtitiſſe. Succedat hujus argumenti alterum exemplum. Aliûs textoris in noſtrâ urbe uxor, 44. ann. habitus macilenti, ſtatus plethorici, lacticiniis acidisque libentiſſime & frequenter fruita, poſtquam menſes ultra annum emanſiſſent, licet menſtruis moliminibus, v. g. dolore lienis, hæmorrhagiâ narium, & ſputo cruento non careret, animo fortiter commota d. 14. Decembr. A. 1707. horruit, d. 15. mane excepit vomitus bilioſus, dolorque axillæ dextræ cum ſitibundo aliquo æſtu: hinc ſibi ipſi medicari intendens ſumto purgante pejus habuit. Conſultus d. 18. ego ad rhevmatiſmum pedis dextri rubicundum variis diluentibus, abſorbentibus, diſcutientibus, diaphoreticis internè

& externè datis decertabam, frustra tamen, licet V. S. in brachio dextro iisdem adjungerem, quâ sanguis proliciebatur, nec seri guttula instructus & tam crassa albâ cute per superficiem tectus, ut ægrè cultro scindi posset. Hinc cum parum per tot dies proficeretur, membraque imprimis circa noctem ob doloris gravitatem nonnunquam spasmodicè concuterentur, tandem mense Januario venæsectione in pede affecto celebratâ omnem tumorem & dolorem statim abscedere sensit.

Observatio XLVIII.

Erysipelas capitis ambulatorium.

GEnerosus Eques ex Ducatu Olsnensi 36. ann. temperamenti sanguineo-cholerici, animi activi, post mel frequenter sumtum, iter longum peractum, gravesque curas œconomicas, d. 25. Maj. A. 1708. cum febrilibus symptomatibus initio nasum, mox totam faciem, auresque & nucham, & tandem scapulas erysipelate obsideri sentiebat. Ingravescebat etiam morbus, postquam partim ex terrore fulminis, partim ex tristi nuncio grandine percussarum frugum d. 27. Maj. animus graviter percellebatur, hinc enim magnæ lancinationes capitis, pressoque pede deliria sequebantur, quibus per aliquot dies continuan-

nuantibus balneator vicinus, (ignarus quod lac minime dandum ſit capite dolentibus & febricitantibus) opem laturus, lac diligenter ſumendum ſuadet. Hoc igitur dum ad palatum ægri eſſet, ille libenter obtemperando id conſequebatur, ut & anxietates præcordiales orirentur, & reliqua etiam ſymptomata potius intenderentur quam decreſcerent. Interim ut â moleſtâ periculumque illatura ſarcina ſe natura liberaret, ecce vomitu ſpontaneo lac in verum caſeum condenſatum excludebatur d. 4. mitigatis inde ſtatim, quæ præcordia & caput vexabant ſymptomatibus. Sane cum d. 5. Jun. evocatus ægrum accederem mirabundus contemplabar duo grandia fruſta lactis in denſum caſeum ita egregie coagulati, ut villica melius nequiviſſet: reliqua carebat deliriis, nec ſymptomata aderant admodum mala, niſi quod exacerbatio horâ 12. diei & noctis ſemper obſervabatur, cui mitigandæ quidem pulverem dabam ex lap. ♋. bezoard. miner. cinnabar. & ⦶. mane & veſperi ſumendum, aſt quia ob magnum labiorum tumorem vix capi poſſet, mixtura ſimplici c. eſſ. ſcord. item potione ex ▽ ſcabioſ. borrag. fl. til. ſcorzon. cinn. borr. c. pulv. bez. ſenn. ſir. acet. citri diaphoreſin promovere ſtudebam, impoſito etiam exterius pulvere eryſipelatode ex farin. fabar. fl. ſambuc. radic. irid. florent. myrrh. ceruſſ. & camphor. â

quibus adhibitis d. 6to placidè dormiebat, egregré ſudans, imprimis cum jam in madorem propenderet, ☐ enæoremate inſtructa erat, ob ſitim ſerum caprinum cupienti id indulſi, ordinata quoque hodie potio ex decoct. citr. c. ſcorz. & C.C. præter iteratam potionem diei heſternæ, d. 8. ex litteris percepi eryſipelatoſum tumorem faciei ſubſidere, aſt labium inferius pectus & dorſum ad lumbos ferè eodem obſideri, ☐ erat rubicundior, quam nuper, clara, ſerum caprin. præ aliis poculentis arridebat: miſſi pulveres quatuor ex lap. ♋. ℥ d. & ⊕. inſuper potio, mixtura & pulvis eryſipelat. d. 5to. ordinata, præter ∽ ⊕ dulc. in potum; inde ſuaviter per diem dormivit, redeunte paulò appetitu. D. 11. ſignificatum, d. 9. circa tertiam p. m. æſtum aliquem iterum deprehenſum fuiſſe ac eryſipelas dorſo relicto in pectore & brachiis efflorescere non ſine dolore ſub axillis, ☐ erat rubra. Interim dum in uſu dictorum pergeretur, d. 15. eryſipelas penitus diſparebat, niſi quod ſubinde macula aliqua rubra efflorescerent, unde viribus, appetitu & ſomno redeunte nulliſque amplius ſub ulteriori adhibitione laudatorum medicamentorum ſignis eryſipelatis reliquis, d. 20. potione ex ▽. laxativ. Viенn. c. ſir. d. cichor. c. rhabarb. curam obſignavi. Cæterum ut ſolet cuticula ubivis abſcedebat. De caſeo in ventriculo

ex

ex lacte coagulato vide obſervationem *Bartholinianam. Dec. 1. Miſc. Nat. Cur. A. 2. Obſ. 163.*

Observatio XLIX.
Hæmoptyſis gravidæ immodica.

Uxor ſcriniarii cujusdam ante portam S. Nicolai 33. ann. habitus macilenti per 20. Sept. gravida, poſt lapſum in bacchanalibus ob viam lubricam coccygem doluit, cumque quod illi non inſolitum d. 22. Febr. A. 1712. admodum irâ excanduiſſet, d. 23. cum tuſſi parum ſanguinis exſpuit, acceſſit dolor in abdomine & preſſio circa thoracem. Cum vero d. 25. denuo cum tuſſi initio modicum ſanguinis exſpueret, mox vero enormem cruoris ejusque floridi & ſpumoſi copiam ceu rivum effunderet, maritum vehementia morbi ad auxilium quærendum adegit. Conſultus, ut mos eſt vulgi, ante medicum balneator ex viciniâ ſanguinem ê brachio eumque variegatum ſeroque carentem eduxit, interim dum nihilominus hæmoptyſis iterum veſperi urgeret, maritus d. 26. trepidans porta vix recluſa me ut præſens uxorem inviſerem inſtanter rogabat; accedens igitur ægrotam de quantitate ſanguinis profuſi percontor, reſpondet maritus, adſtantibus idem affirmantibus, ſe aliter credere non poſſe, quin

ſanguinis ad 6. menſuras effuſum ſit, plura enim vaſcula cruore fuiſſe impleta, præter id quod copioſe in terram diſperſum ſit; ægra ipſa ſe pedes heri frigidos habuiſſe ajebat, cum circa pectus & caput æſtuaret, adhuc ſe pectori quaſi pondus incumbere ſentiens, ſie ſagte/ wo ihr der Huſten zurücke bliebe/ müſſe ſie erſticken. In abdomine percipiebat tormina ac in artubus vagas lancinationes, cum aliquâ horripilatione, de fœtido odore una conquerens; alvus his diebus ſicca ſcybala dejecerat, obtutus erat vividus, licet pulſus parvus & tardus eſſet, motus fœtus inquietus. His auditis ante omnia clyſmate emolliente ſtricturam alvi laxare conabar, quo præter ſcybala & pituitam nil amplius proliciebatur. Datus deinde pulvis ex lapid. ♋. corall. r. ⊕ arc. dupl. cinnabar. & conch. præp. præter emulſionem c. ▽. cord. b. cerefol. millefol. plantag. ex amygdal. externe impoſitus panis mellitus Norimb. c. nuciſt. caryoph. & balſ. embryon. A primâ doſi pulveris paucâ quantitate cruorem coagulatum vomebat, alterâ tamen doſi tribus horis interjectis propinata remanente. Hinc in abdomine & artubus dolores vagi ſenſibiliter imminuebantur, licet caput cum aliquo æſtu adhuc doleret, & circa pectus idem ſtatus maneret. Imperata lenis poſtea extremorum frictio, â meridie verò duo pulveres ex lapid. ♋.

cin-

cinnabar. ☽ & ſpec. de hyac. ſumebantur. D. 27. percipio ab his pulveribus bonum levamen ſecutum, & in ſomno robur, dolores reliqui ferè ceſſabant, niſi quod caput parum adhuc doleret, preſſionem circa pectus cum odore fœtido diſcuſſam ajebat, pulſus erat fortior & motus fœtus ſalvus: interim quod circa diaphragma & abdomen duritiem ſentiret, & ſe intumeſcere crederet, dedi rhabarb ad ʒj. inde quater commode dejecit; poſtea adhuc pulveres ultimo præſcriptos denuo repeti juſſi, ſicque reſtituta ægra debito tempore ſaniſſimam puellam peperit, quæ adhuc eſt in vivis: ἐνέργειαν ultimorum pulverum ita deprædicabat, ut diceret, ſe tota ſua vita efficaciæ iſtorum pulverum non oblituram.

Observatio L.

Fiſtula capitis curata.

GEneroſus & opulentus Eques ex Ducatu Olſnenſi 54. ann. temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus carnoſi, facieique rubræ, in pueritia frequentem hæmorrhagiam narium & in juventute hæmoptyſin paſſus, dum ſuo genio indulget ſeque lautis conviviis quotidie quaſi oblectat, ſatis maturè podagram incurrit; cum igitur 50. annor. ætatis attingeret, neſcio ex quibus rationibus celeberrimi duo medici ulteriorem venæſe-

ctionis (cui diu aſſueverat) uſum eidem diſſuadent, inde vero poſt duos circiter annos in pleuritidem ſpuriam delabebatur. Evocatus tunc ad ipſum & poſt varias quæſtiones ægri ſtatum edoctus ſtatim ut V. S. reaſſumeret ſuadeo, niſi fecerit, varia dolorifica ſymptomata, vel hæmorrhagias circa ſequens ver paſſurum prædicens. Aſt quod ob ingraveſcentem ætatem priorum medicorum conſilium ſibi ſalubrius futurum reputaret, nonitum meum neglexit, neutiquam tamen impunè, ſiquidem menſe Februario A. 1705. poſt horripilationem ac æſtum lancinatorio axillæ dolori junctum partim cùm ſcreatu, partim cùm tuſſiculâ, imo cum vomitu etiam ad menſuram ferè ſanguinis ſucceſſivè excernebat. Evocatus tunc iterum acriter V. S. menſe Martio commendo, ſurdo tamen denuò narro fabulam. Hinc cum deſpumationem podagricam initio Martii nimis moleſte ferret, impoſito malè proprio conſilio, (quod ſæpe fecerat) emplaſtro ſtictico, influxum quidem ulteriorem in pedes impediebat; aſt periculosâ μετάςασι fauces anginâ, & caput catarrhis exinde obſidebatur, quibus ſymptomatibus medicamentis meis diſcusſis, ſequente Junio ophthalmiâ utriusque oculi correptus, ſerò tandem diſcebat, cui potius parendum fuiſſet. Proinde poſtea libenter venam ſecari ſibi paſſus, & deinceps

ſatis

ſatis commodè per annum degens, cum tertio anno iterum V. S. commendarem, comminatus niſi obtemperaret priora pericula; ipſe tamen, quod fortaſſis theſaurum vitæ hac ratione depeculari crederet, incerta potius vel ficta pericula denuò experiri penes ſe conſtituebat, quam iterum animum ad tam ſalutare, ſibique quam maximè congruum remedium adjicere. Interim dum ſenſim lancinationes circa pectus cum dyſpnœâ, tuſſi humidâ, laſſitudine artuum, & catarrhalibus defluxionibus circa partes capitis redeunt, novumque pathema, fluxus auris ſiniſtræ ſeroſus accedit, ineunte vere A. 1709. ſub vento frigido profectus, initio rhevmatiſmum circa pectus, cum ſputo aliquo corrupti ſanguinis, mox eundem in capitis latere ſiniſtro, eumque inflammatorium ſummeque dolorificum incurrebat. Hunc medicus Olsnenſis curans, dum ſuppuratum balneator nimis maturè (nondum ſufficienter exterſo pure) conſolidat, fiſtula emergit propè aurem ſiniſtram triplici foramine, quorum unum aurem perforabat, conſpicua. Vanam igitur noſter æger per aliquot Sept. balneatoris medicationem expertus, effluente ſemper ex fiſtulâ copioſo pure ſanguinolento, partim craſſo, partim tenui, in urbe meum conſilium exquirit. Inſpecto ulcere, illud alio modo quam inciſione chirurgicâ ſanari non poſſe

poſſe pronuncio; paret ille libens. Proinde univerſalibus præmiſſis, feria tertiâ Pentecoſtes, dies erat 21. Maj. evocatus ſolus cum balneatore ſuo hactenus chirurgo operationem ita aggrediebar. Sectione cum forcipe (cujus unum crus in fine globulo præditum erat) citra magnam hæmorrhagiam peractâ, cuniculis detectis liquor ex ▽ Calc. viv. ceruſſ. ☿ d. & camph. injiciebatur, cranii particulæ aliquantulum carioſæ pulvere ex rad. irid. flor. ariſtoloch. rot. myrrh. aloë & euphorbio adſperſo. Hinc cavitatibus cuniculoſis linteo carpto prædicto liquore madido expletis emplaſtrum de betonic. & huic ſacculi ex herb. congruis vino incoctis cum conveniente deligaturâ imponebantur, interne dabam unam atque alteram doſin pulveris ex arc. dupl. ⦶ lap. ♋. conch. corall. cinnab. & eſſ. cit. ſicc. compoſiti. D. 22. ſpongia compreſſâ ☿ ⚗tato parum conſpersâ & cavitati immiſsâ benè ulcus mundabatur â meridie exemtâ. Huic igitur methodo chirurgus inſiſtens applicatis deinde ſarcoticis fiſtulam ex voto clauſit. Ipſe vero generoſus Dominus patiens moniti deinceps mei de V. S. celebrandâ quam maximè memor, commodè hucusque degit, â congeſtionibus circa pectus & caput ferè penitus liber.

OBSER-

Observatio LI.

Hæmorrhoidum immodicus fluxus cum earundem dolore & tumore.

QUam enormes hæmorrhagias aliqui citra vitæ diſpendium tolerent, & quam circumſpectè iis, inprimis hæmorrhoidum nimio fluxui ſit medicandum, ſequens docebit obſervatio. Eques generoſus ex Saxoniâ inferiori 45. ann. temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus compacti & denſi, gulæ iræque indulgentior, hæreditatis adeundæ cauſa in Sileſiâ per pluſculum tempus commorari coactus, ibidem totâ hieme â genero ditatiſſimo quotidianis quam lautisſimis epulis vino Hungarico madidisſimis excipiebatur. Ego igitur ab ipſo ſanitatis ſuæ causâ conſultus, cum audirem, quod hæmorrhoidum fluxu menſtruo, eoque largo, (ſiquidem ſanctè affirmabat rarò infra unius menſuræ modum menſtruum ſuum virile abſolvi) â decimo ſexto ætatis anno ad præſentem quadrageſimum quintum exerceatur, acriter quidem ſuadebam, ut ſibi â nimietate crapulæ & οἰνοποσίας, fermentoque bilis quam ſollicitisſimè caveret, niſi circa ver (quo tempore Hippocratis ſuper experientiam fundatisſimo effato hæmorrhagiæ, earumque exacerbationes ſtatâ naturæ lege obtingere ſolent) peri-

periculoſum nimium hæmorrhoidum fluxum ſubire velit, imprimis dum jam menſe Januario A. 1711. ex hæmorrhoidum diuturniori paulò reſtagnatione capiplenium, ut *Baglivius* loquitur, & hæmorrhagia narium ipſi contingeret, quorum utrumque tum ſectâ venâ in pede hæmorrhoidibus promotis ceſſabat. Interim dum noſter monita mea negligendo per hiemem ſtrenuè pergræcari non deſinit, iterque d. 3. Mart. hæmorrhoidum fluxu jam præſente ingreditur, in quo ob peſſimam viam partim ſuccuſſatione violentâ currus corpus quati neceſſum, partim ob periculum excusſionis ê curru vitandum, ſæpe aquæ nivales pedibus pervadendæ erant, animo ſic non minus ex tam incommodo itinere quam corpore agitato, ecce fluxus hæmorrhoidalis ita invaleſcit, ut narrante poſtea ægro, vena ani inſtar gutturnii ſanguinem fundere non ceſſaret. Quia igitur non ſolùm ex tam enormi fluxu, quam juncto ſimul tumentium hæmorrhoidum dolore vires deficerent, balneator vicinus venam brachii incidit, tumentesque hæmorrhoides aperuit, emplaſtro quod lithargyrio maximam partem conſtiterat, poſtea impoſito. Aſt quod hæc auxilia tam periculoſo morbo penitus tollendo non ſufficerent, d. 8. in urbem vectus me accerſito ante omnia de ſtupendo ſuo fluxu hæmorrhoidali me certio-

rem

rem reddebat, affirmando, ſe credere, (quod tamen Anatomici nunquam credent, qui norunt non facile ultra 30. ℔ hominis juſta ſtaturâ gaudentis corpore contineri) quod his diebus penè 16. menſuræ ſanguinis ex ani venis effluxerint, qui ſanguis ſimul tantæ acrimoniæ fuerit, ut cutem, quâ contigit, imo papyrum eroſerit, quam acrimoniam ſumtis quotidie in Saxoniâ ſalſis infumatisque cibis adſcribebat. Cæterum quod hæmorrhoidum fluxus per intervalla cum pulſus viriumque debilitate rediret, ægerque facie valde collapsâ, & ſi ob teneſmum (quo tamen ſaltem flatus excludebantur) adſellare ſtimularetur, totus trepidans & in ἔκλυσιν pronus cerneretur, non poteram (gnarus licet, quod celeberr. Wedelius purgante hæmorrhoidalem fluxum feliciter aliquando ſtiterit) ad evacuans animum applicare, undè ſolum ordinabam mixturam ex eſſent. millefol. c. eſſ. cortic. ☉r. & ♁ ☽d. remixtam, pulverem item ex ♄ ♂, ☽, corall. cinnab. & eſſ. cit. ſicc. denique pro fotu (ne externorum confortantium mentionem faciam) verbaſc. chamom. ℞. & violar. in lacte cocta, quibus adhibitis â meridie pulſus paulò fortius micabat, â ſomno tamen confuſus, ſuique ad temporis aliquot momenta ignarus erat, fluxus continuabat, in vitri □nalis lateribus copioſi ⊖ini cryſtalluli comparebant. D. 9. poſt

ſomnum

ſomnum eadem mentis confuſio, ira conceptâ bis dejecerat, flatus jam quaſi nulli, teneſmus cum tremore magno totius corporis, omniumque artuum, (quem ſemper his ſeptem diebus ſenſerat) adhuc durabat, hæmorrhoides cum dolore protuberabant; iisdem medicamentis hodiè continuatum, d. 10. ter multum dejecit, totâ nocte ἄγρυπνος, teneſmus adeò urgebat, ut tremens ſellæ inſidens in ἔκλυσιν tenderet, flatus iterum & ſanguis prodibant. Præſcriptus tum pulvis contra abortum Aug. & ſpec. de hyacinth. c. ☽ & eſſ. cit. ſicc. pro 2. doſibus, item ſuffitus ex verbaſc. c. colophon. & maſtich. Effectus erat, ut â ſuffitu multum albæ pituitoſæ materiæ per alvum excerneretur, & â pulvere ſibi juvamen accesſiſſe diceret. D. 11. benè quidem dormiverat, aſt teneſmus cum tremore totius, doloreque & hæmorrhoi um fluxu continuabat crebrò, proin datus pulvis idem ſine ☽; licet igitur d. 12. ſomnus pariter ſuccederet, tamen poſt ſuffitum & pulverem hodiè manè ſumtum dolorem circa pectus & anxietatem præcordialem ſentiebat, ut quo ſe verteret neſciret; dedi proin pilulas Stahlian. quibus effectum, ut dejectione præviâ d. 13. hæmorrhoides iterum, ut prius, fluerent, cum teneſmo & ſenſu ardoris in inteſtino; quod igitur jam & vires ægri permitterent, nec æger amplius refragaretur,

clyſma

clyſma injeci ex decoct. furfur. tritic. c. verbaſc. & vitell. ovor. & poſtea pulverem pro 2. doſ. ex ♄ ♂, dent. hippop. nitr. corall. cinnab. & eſſent. cit. ſicc. porrexi; hinc d. 14. benè dormivit, pulſusque iterum magnus & plenus reddebatur, licet hæmorrhoides adhuc fluerent, quarum jam tumor diſcuſſus erat, utut dolore non penitus carerent, & teneſmus cum dejectionibus adhuc adeſſet. Suaſi igitur infuſo millefol. theiformi jam uteretur c. cinn. & mac. enemaque idem denuo injici curaret. D. 15. audio ſtatum eundem eſſe, anxietatemque poſt paſtum adhuc ſentiri, pulverem benè conduxiſſe, dedi elix. ſtomach. cum balſamico Hoffm. & ⏜ maſtich. it. pulverem ex ♄ ♂, corall. nitr. dent. hippopot. cinnab. & eſſ. cit. ſicc. D. 16. nulla mutatio. D. 17. pruriebat anus in ambitu, quædam adhuc indicia ſanguinis inter dejectionem alvi, anxietas poſt paſtum penitus ceſſabat, cui dolor pedis ſuccesſit, datus pulvis ex ♄ d. nitr. lap. ♋. dent. hippop. cinnab. & eſſ. cit. ſicc. D. 18. totâ nocte ſudavit, dolor pedis deſiit, cum dejectione alvi tenuis & aquoſus ſanguis prodibat, hæmorrhoides denuo cum pruritu protuberabant. D. 19. iterum copioſus ſudor ſecutus. D. 21. penitus & fluxus & tumor hæmorrhoidum ceſſabat, pruritu ſolum aliquo reſiduo, hac & prioribus duabus diebus quaſi purulenta ſanies

 deji-

dejiciebatur. Cum itaque benè degeret, meam præſentiam amplius non requirebat. Interim notari meretur pruritum ani non prius ex integro deſiiſſe, quam cum ſumto adverſus nauſeam ♀ emet. gr. iij. duodecim vomitus & ſex dejectionibus bilioſas fruſtis pituitoſis intermixtas conſecutus eſſet, hoc enim facto & pruritus ani deſiit, ac æger ſanus & vegetus evaſit ac permanſit, hæmorrhoidibus deinceps menſtruis rite fluentibus.

OBSERVATIO LII.

Variolæ nigræ maculis ſcarlatinis in fine exceptæ.

PRimarii litterati in urbe noſtrâ filiola 2. ann. ſanguineo-phlegmatica. A. 1711. d. 1. Januar. febri corripitur cum vomitu & pavore, jacebat torpida. Vocatus d. 3. potionem ex ▽ fl. til. ſcabioſ. acac. card. ben. c. conch. C.C. phil. ♄ d. & ſacch. perl. præſcribo; circa veſperam epilepſiæ acceſſus. D. 4. variolarum indicia: continuatum in uſu potionis. D. 5. & 6. ſedes juſto molliores, ſternutatio frequens, initium opthalmiæ in uno oculo, cui ▽ roſar. c. croco proſpectum. D. 7. oculi clauſi, variolæ ſeſſiles, per vices phlogoſis vaga & ſitis, facies tumeſcere incipiebat, mucus narium copioſus, bis ſicca dejiciebat: daba-

dabatur (1) potio ex decoct. ſcorz. c. C.C. citr. ſir. rub. id. & acetoſ. citr. alternatim cum potione priori (2) eſſ. alexiph. Stahl. Mane d. 8. inclinabat in ſomnum, ⊡ involuntariè bis excernens, interſtitia variolarum in fronte non rubebant, ubivis ſesſiles cum foveis, in artubus aliquæ depreſſæ & nigricantes, aliæ puncto nigro in medio inſignitæ, plurimæ adhuc perpuſillæ variolæ prodibant; allium plantis pedum applicatum ſomnolentiam non minuebat, quin ſemper ſomnolenta jacens alloquio ſolum vel turundâ naſo immiſsâ, aut 🜇 amygd. dulc. c. ſacch. canar. illito paulo excitabatur, alias ſibi conſtans, facileque reſpiràns, gargariſmate injecto multum muci eliciebatur: eſſ. alexiph. Stahl. ℞ bez. Wedel. & pulveri ex conch. lap. ♋. ℥ d. tantillum myrrh. & eſſent. cit. ſicc. remiſcebatur. D. 9. circa noctem oculos incipiebat aperire & lætior morbi facies affulgere, noctu & hodie mane liberè loquebatur, citra omnem raucedinem, vel tusſim, ſereni animi exiſtens, variolæ exſurgebant cùm intumeſcentiâ faciei & manuum, aliquæ quoque jam maturabant, ſparſim cohærentes, copioſa phlegmatorrhagia narium, parum vero erat quod injectionibus eliciebatur: continuatum in uſu dictorum. D. 10. nox inquieta & inſomnis, ſitis magna, variolæ exturgeſcebant, in facie plures maturæ prurientes,

tes, in manibus quoque turgebant, reſpiratio bona, pituitæ fluxus è naſo, □que excretio copioſa, alvus ab aliquot diebus obſtructa, â meridie ſomnus obrepebat, mox tamen inquietudine exceptus, interſtitia variolarum in genis quidem rubebant, neutiquam verò illarum, quæ in fronte, manibus, brachiis & alibi extabant, ſitiebat valde, continuo potum poſcens, alvus ſemel ſicca dejecit, noctu acceſſus epilepticus levis prævio ſtridore dentium ſecutus, contraitum pulvere ex ♉ d. lap. ♋. conch. cinnab. & eſſ. cit. ſicc. D. 11. nox adhuc inquieta, ſemper querela de ſiti, undè potum avide anhelabat, noctu ſtridebat dentibus, linguam continnò exſerebat, tremebant brachia, ſumma epilepſia erumpebat, □ copioſa, variolæ jam turgebant, in ambitu rubentes, aliquæ valdè magnæ (illæque in artubus) nam quæ in facie erant, continuò affrictu ad lectum jam pridie ruperant, naſus obſtructus, quem nullo modo ſibi reſerari patiebatur, uti & injectiones refugiebat: ordinata potio præter ultimo dictos pulveres ex ▽ fl. til. ceraſ. nigr. ſcorz. cinn. borrag. c. aliquot guttis Spirit. C. C. ſucc. & ſir. pœon. compoſ. ad tertiam usque noctis æſtuabat, continuò potum poſcens, inde quieti reddita d. 13. ſerenioris animi erat, alvum bis deponens, unà lumbricum digiti longitudine excluſit, cum prius nullos ver-

mes

mes deprehenderint, ⊡, ut ſemper, copioſa; variolæ in manibus & pedibus maturabant, aliquæ, & imprimis grandiores, veſicam ſplendentem æmulantes, alvus aperta: loco prioris mixturæ dediſſent. ſcord. & radic. pimpinel. pulverem vero eundem. D.14. ſitis eadem, æſtus tamen circa noctem levior fuit & brevior, ⊡ copioſa, ob tusſim data potio ex decoct. C. C. c. ſcorz. pectoral. c. ſir. violar. â meridie alvus aperta, ſitis minuebatur, variolæ fœtebant, in ſomnum inclinabat, pedum tumor oriebatur, illarumq; variolæ plures adeo magnæ erant & lividæ, ut globuli, quibus pueri ludunt. D.15. æſtus noctu major quam heri, pariter & ſitis, bis dejecit, in ſoleâ pedis prope minimum digitum una variola magnitudine globi livida, pariter nonnullæ talis coloris viſebantur ſupra pedum digitos, reliquæ in pedibus (qui valde tumebant & per totum rubebant) pure flavo erant turgidæ, malè coloratas mater diſcindebat, tumori pedum eryſipelaceo pulvis ex farin. fabar. fl. ſambuc. rad. leviſtic. irid. flor. myrrh. ceruſſ. & camph. inſpergebatur; inquietudo querula continuabat, ſitis tamen modica, ê naribus copioſa flava ſpiſſa materia effluebat; veſperi in pectore, abdomine & cruribus latæ rubræ æquales maculæ effloreſcebant, & quidem non δυσφόρως, cum blando poſtea ſomno frueretur. D.16. ejulabat præ

 anxie-

anxietate & dolore, circa os ſacrum duo foramina, ubi nigræ variolæ fuerant, viſebantur, lividæ magnæ variolæ heri diſciſſæ denuò turgebant, pes dexter adhuc tumebat, quamvis mitius æſtuaret, ſitis tamen erat urgens, oculi materia viſcidâ madentes, ⊡ copioſa, alvus aperta: propinata potio ex ▽ ſcorzon. ſcabioſ. ſcord cinn. borr. pulv. bezoard. Senn. ſir. acet. cit. Oculis proſpectum collyrio ex ▽ chelidon. maj. roſar. euphraſ. ſacch. ♄ nih. alb. uſus etiam prioris pulveris continuatus, ulceribus circa anum myrrh. & ceruſſ. inſperſa, unde valde deliniebatur: â meridie εὐφόρως degebat, pes detumeſcebat, mitior erat ſitis, maculæ adhuc durabant. D. 17. nox ἄγρυπνος, querula erat, per vices tamen tranquilla, naſus cruſtâ nigrâ deformis, quem cereviſiâ ſecundariâ lixivio alteratâ ut madefacerent jubebam, maculæ rubræ ut hactenus: â meridie in pronâ jacente puellâ duo ulcera in natibus profunda & ampla, in femoribus verò (ubi nempe variolæ nigræ hæſerant) alia ſex, quanquam anguſtiora cernebam; in fronte ſub cruſtâ nigrâ pus acre ſtagnabat, plorabunda, inappetens, aſt minus ſiticuloſa, vix amplius medicamenta admittebat, dabatur tamen decoctum ex ſcorz. c. C.C. & rad. ſarſæpar. ulcera decocto ex ſcord. myrr. aloë & melle roſar. abſtergebantur, quibus poſtea pulvis prædictus inſperſus. D. 18. ſomnus ſuc-

succesſit, maculæ diſparebant, appetitus redibat carnis, alvus aperta. Ubivis ubi nigræ variolæ fuerant, iis excedentibus, ſuccedebant ulcera in natibus, femoribus & cruribus, quibus ungu. alb. coct. applicabatur, d. 29. ἀπύρετος, benè dormibat, quietior, d. 20. eadem, niſi quod non appeteret, variolæ tres in facie ſurgebant ſtatim matureſcentes, in extremitate unius digiti pedis excreſcentia emergebat inſtar cornu ſicca & dura, coloris cinereo-fuſci, atra cruſta naſi fotu prædicto emolliebatur, aſt in facie aliæ cruſtæ alias excipiebant, ſomnus appetitusque redibat, cum alvi & ☐ excretione quotidianâ, febri jam conſtanter carens deprehendebatur. D. 21. in facie iterum tres furunculi ſurgebant. D. 22. ulcera decoct. ſcord. fl. roſar. rub. & myrrh. abſtergebantur, quibus poſtea pulvis laudatus inſperſus. D. 23. læta erat, ridens, in brachio enata quatuor ulcera: ſemper uſui in & externorum inſiſtebatur. D. 27. læta veſtibus induta comparebat, ſudabat jam minus, (ſiquidem ultimis diebus ſudores acceſſerant) ulcera plura ad conſolidationem tendebant. D. 29. in facie manibus & pectore iterum furunculi aliquot enati. D. 31. in brachio ſiniſtro prope axillam tres furunculi grandiores extuberabant, quibus empl. diachy. c. g. impoſitum, ſicut ulceribus manantibus empl. de ceruſſa & lap. calamin. adhibebatur,

 quod

ulcera optimè ſanabat. D. 4. Febr. furunculi adhuc durabant, in ſoleâ pedum prope pollicem cuticula cum cornea ſubſtantia abſcesſit. D. 5. furunculus maximus rupit, ulcera ubivis complanata, ſolum in fronte & naſo una adhuc & altera nigra cruſta reſtabat, ê naſo muci copia fluxit: poſtquam igitur in uſu pulveris ex lapid. ♋. & ♁ d. hactenus quotidie continuatum eſſet, d. 12. therapiam periculoſisſimi hujus morbi ad finem deduxi, potione ex ▽ laxat. Vienn. ℥ß. pulv. jalapp. gr. iv. ☿ d. gr. iij. & ſir. de cich. c. rhab. ʒj. cujus beneficio 8. ſedes effectæ. Et ſic plenisſimè divina gratia gratioſisſima jam puella convaluit. Sanè vim αὐτοκρατοῦντος naturæ præſertim in variolis & morbillis multoties expertus, id ſemper mihi agendum eſſe ſtatui, ut blandisſimè ſaltem diapnöen in hiſce morbis promoverem, nunc ὀργασμὸν nimium deprimendo, nunc torporem naturæ leniter excitando, quâ ratione id conſecutus ſum ut plurimum feliciter, rarisſimè funeſtè decurrerent, ægrotique iis ſalutariter defungerentur, qui adſtantibus mortem non niſi miraculo evaſuri credebantur.

OBSER-

Observatio LIII.

Clavus ſuper orbitam oculi periodicus unicè ferè ſanguinis eductione iterata ſuperatus.

HOneſti cujusdam Senioris ê tribu ſutorum uxor 46. ann. habitus longi, carnoſi & compacti, animi virilis, poſtquam â 3. annis menſtrua deſiiſſent, quanquam molimina quædam menſtrua adhuc ſentiret, poſt varias & graves animi curas & abuſum ſalſorum, hieme A. 1709. immemorabili frigore horrente d. 1. Febr. anguſtiam conſtrictivam pectoris c. dyſpnœâ, loquelâ impeditâ & ſummâ hemicraniâ lateris dextri non ſine ⊡ lixiviosâ incurrit: pediluvio igitur â domeſticis proprio conſilio inſtituto, mox quidem capitis dolor maximam partem deſiit, ita tamen, ut crus dextrum ſtupidum & ad motum impotens redderetur. Hinc V.S. in brachio celebrata & recurrente d. 3. hemicraniâ (ut non inſolenter paroxyſmare alternis diebus ſuevit) meum conſilium poſcebatur. Quia igitur jam V.S. facta fuerat, ex re ægræ futurum non credebam, ſi illam denuo celebrarem, unde potius medicamentis incubui, quibus effectum, ut capitis quidem dolor ſileret, interim motitationes adhuc in dorſo perciperentur, quas d. 4. præviâ dorſi horri-

pilatione, manè constrictio thoracis & dolor capitis oculique summus iterum excipiebat: proin in tam ἐυσάρκῳ & plethorico corpore V. S. in pede dextro instituere certus, eâ celebratâ in momento spasmodica thoracis contractio ex toto, cephalalgia verò maximam partem desinebat, subsequo hinc somno quieto. Interim quamvis paroxysmum, d. 5. pediluvio præverterem, dolorque supra oculum statâ horâ mitius rediret, □que hactenus rubræ & crassæ emendarentur, tamen (non neglectis licet ante paroxysmum pediluviis, alvi etiam ad stypticitatem inclinantis expeditione, adhibitisque etiam variis diluentibus, discutientibus, & demulcentibus, inter quæ erant pulveres ex ♁, cinnab. nitr. & dent. hippop. constantes) paroxysmus præviâ semper cutis horripilatione & pedum frigore, citra tamen pulsum celerem calorem & sitim, quotidie mane horâ septima redibat; ubi notabile erat, quod unicè in oculo dextro & supra supercilium ejusdem oculi latitudine ducati tactum refugiens dolor sine rubore & tumore consisteret, adeo tamen550 ferociens, ut mulierem robusti alias animi ad diros ejulatus & cursitationes in hypocausto adigeret, finiebatur quidem dolor hâc vice post meridiem, postquam ægra prius sonitum bombardæ explosæ sibi audire sensisset, ita tamen ut palpitatione cordis, pungitivo pectoris, lancinan-

nanteque artuum vago dolore, ac contractione digitorum exciperetur. Continuabat igitur hâc ratione invaſio, (cui d. 8. maculæ artuum ſcorbuticæ cum ſtranguriâ jungebantur) filumque curationis ad. d. 9. quo die dum paroxyſmum ſcarificatione inferiorum & ventoſarum applicatione prævertere animus eſſet, ecce iterum ſibi videbatur als ſchieſſe man ihr ein Piſtol durch den Kopff / & quaſi una examen apum capiti ſuo circumſtreperet. Nihilominus ſecretionibus & excretionibus humorum ſic liberis factis, (ſiquidem poſtea alvus morigera reddebatur, fluebantque toties quidem optati, nondum tamen adhuc viſi ſudores) appetituque & ſomno redeunte, poſt unum alterumque diem ſanitas quoque ex voto redibat. Confer de tali periodico clavo ſuper orbitam oculi vere frequenti *Welſch. in miclomem. Dec. 1. Miſc. Nat. Cur. Ann. IV. p. 32. 33.* item *Sylvaticum Cent. 1. Conſil. 30. & 31.* Quicunque ex hâc obſervatione non cernit, quam neceſſariæ & utiles ſint ſanguinis miſſiones in corporibus ſtatu oneroſo ſpiſſoque ſanguinis obſeſſis (cui ſi acrimoniam ſalinam junxeris ſcorbuticus Proteus facile excluditur) ad procurandos liberos ſucceſſus ſe - & excretionum humorum (in quarum juſto progreſſu & effectu ſanitas verè continetur & reducitur) reliquorumque medicamentorum δύναμιν juvandam, næ quod

quod is nimium ſuis præjudiciis excæcatus ſit credere oportet. Confer de inſigni uſu hirudinum parti affectæ in hemicraniâ ſingulis diebus certâ horâ recurrente applicatorum *Dec. 2. Miſc. Nat. Cur. A. 9. Obſ. 141.*

OBSERVATIO LIV.

Carus.

FAmulus cujusdam officialis ſereniſſimi Principis Comitis Palatini Caroli, 26. ann. temperamenti melancholico-phlegmatici, faciei pallidæ, Heidelbergâ patriâ relictâ Hamburgum & Dantiſcum concedens, ibique tam piſcibus infumatâque & muriatâ carne per bonum temporis ſpatium famem ſæpe levare, quam corpus ex muneris ratione variis injuriis aëris exponere coactus, poſtquam abuſus tabaco, tam pulveris formâ in nares tracto, quam fumi ore hauſto, ejus quoque uſum ex abrupto intermiſiſſet, ac deinceps Vratislaviæ copioſius & frequentius lacte fruitus fuiſſet, præviâ taciturnitate inſolentiori vertiginem caducam cum dolore capitis gravativo incurrit; cui tollendæ DN. ſuaſu initio quidem, mox V. S. fuit inſtituta, aſt ſucceſſu parum ſalutari, ſuccesſit enim menſe Septembri A. 1713. ſopor tantus, ut per tres dies, quicquid adſtantes molirentur, ſemper tamen eodem creberrimè opprimeretur. Cum igi-

igitur deinceps nullâ arte ipsum excitare quirent, me d. 22. Sept. consulebant. Vocatus proinde contemplor hominem instar trunci oculis oreque clauso decumbentem, cujus sopori ineluctabili cum acclamationes & frictiones non sufficerent, jubeo cum excutiâ & statim ⊖ aceto soluto plantas pedum fortiter fricari, quo facto artus quidem inferiores movebat, ast oculi osque adhuc clausum remanebat: ut igitur naturæ torpor, spiritusque glutinosis succis intricati excitarentur, jubeo mixturam ex ♎ ⊖ ✱c. fortiss. & lil. convall. ā quovis semihorario spatio in ▽ lil. convall. & hyssop. infundi, exterius vero naso, vertici & temporibus ♎ apoplecticum c. ♎ ⊖ ✱c. & ☍ spic. roboratum, denique ☍ cinn. & origani linguæ applicari. His effectum, ut concurrentibus fortibus & continuis frictionibus, post horam effluxam, pauca quædam loqueretur, mox tamen iterum sopori immersus. D. 23. ἄφωνος licet, annuebat tamen, quæsitus varia, oculi erant quasi ebriosorum, (wie gläsern/) facies ex pallido flavescens, pulsus celerior, interdum suspirabat profundè, ab alvo tenuia semel dejiciens: prioribus jungebantur hodie pulvis sternutatorius ex castor. hellebor. alb. ☍ spic. rutæ irroratus, tum pro interno usu pulvis ex cinnab. ⊖ ✱c. ♁ d. lap. ♋. ess. cit. sicc. denique nuchæ & artubus vesicatoria admovebantur, quæ tamen solum in nu-

châ,

châ, neutiquam vero in brachiis & femoribus veſicas excitabant, â ſternutatorio per nares & os copioſiſſima gluten æmulans pituita cruori mixta effluebat, frictiones calidæ inceſſanter continuabantur, lingua ſale fricabatur, faucesque cochleari mundabantur. Hisce continuatis poſt gravia ſuſpiria noctu edita d. 24. ratio & loquela mane redibat, exponebatque deinceps mihi inviſenti ridente vultu & ſerenis oculis rationem prioris ſuæ vitæ. Hinc propinavi pilul. cephalic. purgantes, & ad iter cum Domino ſuo ingrediundum ſpec. ex rad. helen. h. ſalv. majoran. trif. fibr. roſm. ſaſſaf. cardam. pro inf. theiform.

OBSERVATIO LV.

Croci nimia doſi ſumti noxa.

SUtoris ancilla 18. ann. cum ad reſeranda menſtrua conſilio cujusdam fœminæ, (quæ propriâ experientiâ plus vice ſimplici croco cum lacte calido diluto & debitâ doſi ſumto menſtrua efficaciter provocaverat) idem remedium adhiberet, ſed eâ quantitate, quæ pondus ʒj. excederet, obtinuit quidem ut vix poſt horæ effluxum menſtrua per triduum croceo colore tincta procederent, aſt ob nimis turgefactum ſanguinem una ardorem in interioribus, anxietatibus tantis per intervalla creberrima recurrentibus ſtipatum ſenſit,

ſit, ut in lecto nullo modo decumbere, ſed noctu ac interdiu conſidere cogeretur; aderant quoque propenſio in ſomnum, dyſpnœa, inflatio colli, ventriculi & abdominis, æſtus externus, tremores artuum, ut ſtare non poſſet, ruborque corporis totius ſcarlatinus. In his anguſtiis igitur per duos dies conſtituta, d. 28. Julii, A. 1714. veſperi conſilium meum requirebat; proinde pro ὀϱγασμῷ ſanguinis ſedando miſi duos pulveres ex arcan. dupl. ♁, pulver. conchar. oſtrear. & cinnab. modico conſtantes, quibus per noctem adhibitis d. 29. anxietas penitus ſtatim ceſſabat, ut jam decumbere poſſet, inflatio etiam colli, ventriculi & abdominis detumeſcebat, æſtusque multum temperabatur: interim quod adhuc tremor continuaret, nec æſtus penitus eſſet extinctus, datis denuo his pulveribus & inſuper arcano ♀ in liquido d. 30. omnia erant pacata.

OBSERVATIO LVI.

Tumores flatulenti.

NOtum eſt *Helmontium* flatus ſoli ventriculo & inteſtinis & præcipuè ileo (quippe cujus inquilini præcipuè ex ejus hypotheſi ſunt flatus) incluſiſſe, flatusque non rerum ſed noſtrum vitium eſſe ſtatuiſſe. Aſt ſicuti vanum eſt ſoli viſcerum debilitati generationem

nem flatuum aſſignare, ſiquidem tum alii, tum celeberrimus *Camerarius in diſſertat. de ſubſidiis pro arte medicâ ex antliâ pnevmaticâ petendis* §. *4. p. 29.* evidentibus experimentis evicerunt, quod omnino flatus rebus & cibis inſint, ſub fermentatione non â fermentatione emergentes, ita quod deinceps in alias quoque cavitates ipſumque habitum corporis penetrare poſſint, res eſt tot expertorum medicorum teſtimoniis confirmata. Ita enim celeberrimus *Wedel. ſect. 2. Pathol. medic.* dogmatic. c. 3. p. 207. flatus ex utero prodiiſſe obſervavit, quales quoque ego ex eadem cavitate cujusdam Illuſtriſſimæ Baroneſſæ albo fluore laborantis prodiiſſe notavi, pariter & *Binning.* eosque ſonoros *Cent. 4. Obſ. 68. p. 442. deprehendit.* E pudendo & pene erupiſſe notavit. celeb. *Paulini Obſ. 91. ad Dec. 2. Miſc. Nat. Cur. A. V.* ex eodem leguntur emisſi *Dec. 1. Miſc. Nat. Cur. A. 2. Obſ. 46. Vol. 2. Act. Hafn. Obſ. 44. Vol. 3. Act. Hafn. Obſ. 40.* Quem chiragram flatulentam *B. Volcamerus Dec. 2. Miſc. Nat. Cur. & Celeb. Wedel.* arthritidem vagam flatulentam ex abdomine flatibus diſtento oriundam, & poſtea iterum per guttur ſuperius & inferius flatibus emiſſis ſolutam obſervavit *in diſſert. de arthrit. vaga ſcorbut. c. 2.* Certe religioſi reformati S. Franciſci mihi pro certo affirmarunt, ſe ex ratione ſui inſtituti dum frigus multum ſuſcipere, & vitam victu multo duro,

duro, viſcido & flatulento tolerare coguntur, flatibus valde moleſtari, adeò ut non rarò in habitu externo & articulis tumores flatulentos patiantur, facile diſparentes, & maximè cum ructus erumpunt, cujusmodi tumor magnus olim cuidam Fratri prope axillam exſurgens ructibus ortis mox detumuerit. Conf. de ſimilibus tumoribus flatulentis in partibus maſculoſis *Hildan. Cent. V. Obſ. 70.*

Observatio LVII.

Aſari vis inſignis antifebrilis.

NOn ſemel quin multis vicibus inſigniſſimam vim radicis aſari expertus ſum in febribus tertianis & quartanis difficillimis, quibus rarò noſodochium A.A. R.R. Dn.Dn. F.F. Miſericordiæ deſtituitur. Adverſus has cum ſelectiſſimis aperitivis, ⊖bus duplicatis, & lixivioſis, antiſcorbuticis, purgantibus in variâ, tum infuſorum formâ propinatis, imò tandem chinatis ipſis & ☿libus parum vel ſaltem vix aliquid conſtantis nonnunquam efficeretur, aſari tamen radix ob aromaticam ſuam inciſoriam ſpecificam vim ad ℥ß. vel ℈ij. vino infuſa & in eodem leni calore digeſta talem præſtitit ἐνέργειαν, ut diaphoreſi & diureſi largiſſimâ (ut plurimum ſine vomitu) factâ, febris (imprimis ſi uſus ejusdem bis, ter repeteretur) conſtanter ceſſaret. Ex

H plu-

pluribus allegare possum Fratrem quendam ex conventu Dn. FF. Misericordiæ, coqui munere in cœnobio fungentem. Hic temperamenti cholerico-melancholici, hæmorrhoidarius insuper, homo alias ἀῤῥωςία quadam διανοίας laborans, & ut coqui solent, ingluviosus, cum vini potum ordinarium cerevisiæ potu hic Vratislaviæ mutare cogeretur, id quod valdè ægrè ferebat, mense Septembri tertianâ spasmodicâ multo cum rigore, pulsu debili, anxietate pressivâ præcordiorum, vertigine delirâ, lancinationibusque & puncturis artuum inferiorum stipatâ tentatus, (sub cujus paroxysmis aliquando ceu furiosus horrendum vociferans insuper ceu canis latrabat; illâ vix debitis remediis sopitâ, ex erroribus diætæ quartanam multis prioris febris tertianæ symptomatibus comitatam incurrebat, quæ ob pertinaciam infusa prædicta aperientia, ⊖lia varia, regul. ♂. medicin. c. essent. fulig. antiscorbutica diu eludens, (quanquam mitior hinc paulum reddita) tandem quidem post celeberr. *Hoffmanni* pulverem, quem *in dissertat. de quartana* laudavit, & qui ex limat. ♂. chin. chin. ⊖ absinth. arcan. dupl. ☿ d. & laudan. opiat. concinnatur, in sex doses partitum salivatione copiosâ ortâ acquiescebat, cum tamen iterum in fine Decembris repullularet, post quater ante paroxysmum sumtos ℈ij. radicis asari in fine leniter ebullitæ, orto primâ

primâ vice vomitu, poſtea vero copioſo ſudore & diureſi, penitus citra ullum reſtans ſymptoma d. 7. Januar. evanuit. Sanè *Simon Pauli in Quadripartito Botan. p. 23.* aſarum quartana laborantium veluti panaceam vocat, & *Cl. Paulini Cent. 2. Obſ. medico-phyſic. rar. Obſ. 71.* herbam, quæ cuidam in quartum annum quartanâ afflicto in ſomno oſtenſa cum alloquio in hoc ſalus tua, bibe & viceris, non aliam quam aſarum, quod verum quartanæ ῥιζότομον nominat, fuiſſe credit.

OBSERVATIO LVIII.

Cura & Anatome aſthmate defuncti.

ILluſtriſſimus quidam Comes, 36. annor. temperamenti phlegmatico-melancholici, olim in aulâ Divi Leopoldi honorariis pueris adſcriptus, (quo tempore crebram hæmorrhagiam narium pati conſueverat,) poſtquam delicato vivendi generi ſedentarium junxiſſet, luſui ſi quis alius in ſeram noctem indulgens, ante quatuor annos circa papillam dextram tumorem ſine inflammatione cum dolore pulſatorio ſenſit, quo ſublato, catarrhus in pectore, & poſt hunc reſpiratio difficilis ſucceſſit: cum igitur dyſpnœa cum tuſſi (quâ viſcida ſpumoſa expectoraverat) invaleſceret, & febricula quædam habitum corporis paula-

 tim

tim depaſcens accederet, ante $\frac{1}{2}$ ann. tres medici noſtrates curæ illuſtriſſimi præfecti in diverſas partes de causâ morbi abierunt, duobus tubercula cruda pulmonum incuſantibus, tertio laryngis ſtatum p. n. ſibi concipiente. Quod vero parum medicando proficeretur, pertæſus DN. æger medicamentorum, medicis dimiſſis ſolo infuſo quodam, quod hepatica, ſplenetica, pectoralia & laxantia ingrediebantur, vacillanti ſuæ valetudini proſpexit. Tandem verò d. 24. Jul. 1713. meum conſilium requirens, dum in illo capiplenium cum profundo ſomno, dyſpnœam continuam cum ſibilo, tuſſim (ferè tamen ſolùm peractâ digeſtione) fortem ad vomiturítionem usque, appetitum robuſtum, flatuum maximam abundantiam, cum dolore aliquo ſtupido hypochondrii ſiniſtri & alvo ſtypticâ, artuum laſſitudinem, & virium debilitatem cum maceſcentiâ habitus externi, itemque furunculos in facie & brachio dextro, deprehenderem, abundè mihi glutinoſitas lymphæ tam in abdomine ſymptomata hypochondriaca, quam in pulmonibus aſthma tuberculis crudis comitatum producendo, in culpâ eſſe videbatur. Facto proin prognoſtico, quod DN. Patiens contentus eſſe debeat, modò ſymptomata mitigari poſſent, & vita tantiſper trahi, injunxi uſum infuſi theiform. ex rad. helen. glycirrh. herb. veron.

beton.

beton. salv. hyss. pulmonar. lingu. cerv. anis. fœnic. ficub. c. mannâ, fol. senn. insuper post pastum elix. bals. Hoffm. c. essent. cort. ☉r. ∽ ◐ d. commendans. Hinc d. 25. materia sequacior reddebatur & parcior, ut citra vomituritionem cum tussi expectorari posset; ast quod â pastu abdomen inflaretur, cum anxietate & dyspnœâ majori, ac DN. Patiens observaret circa papillam dextram dolorem aliquem statum excretis flatibus levari, ordinavi partim clysma, ex chamom. R. anis. fœnic. carv. c. vitell. ovi & ⊖, â quo insignis vis glutinosissimæ pituitæ flatibus sociatæ cum levamine educebatur, partim emplastr. ex empl. carminat. Myns. c. tacamah. & ℅ carminat. pro pectore & abdomine; â quibus DN. æger se levatum, faciliusque respirare dicebat; & quia circa pedes & crura frigusculum quasi perpetuo sentiret, pediluvia suasi, quæ quotidie hinc utiliter adhibebantur: posteris diebus ad caput levandum præscripsi pulverem errhinum ex sacch. canar. c. resin. l. sanct. qui multum glutinosæ pituitæ cum aliquo juvamine eliciebat: clysmatibus quoque iteratis semper magna vis pituitæ glutinosæ detrahebatur. D. 1. August. asthmatis paroxysmo nocturno graviori quam hactenus ingruente, sumtâ potione ex ▽ hyss. veron. cinn. borr. c. sacch. canto & vitell. ovi conquassatâ, & calefactâ levius degebat. Interim

rim dum ſequentibus noctibus paroxyſmus invaleſceret, & anxietas conſtrictiva juncta, convulſivis artuum motibus exciperetur, (perpenſo quod toto morbi tempore quaſi diabetica urinæ paſſione afflicto reliqua lympha neceſſariò glutinoſior, & ſpiſſior, adeoq; ad polypum generandum habilis facta fuerit) miniſtro medicamenta die quarto petenti prædicebam, me certò credere Dominum poſt aliquot dies effluxos, & quidem noctu ſubito moriturum, quod ſuſpicio de polypo cordis penes me ſubſit. Utut igitur per hos dies quæ derivando, reſolvendo, diſcutiendo, generi nervoſo demulcendo, & viribus roborandis prodeſſent, non omitterentur, tamen cum die ſexto anxietas, dyſpnœa, & preſſio pectoris ſub ſomno, cum motibus convulſivis artuum & debilitate pulſus augeretur, ipſi Domino ægro prædixi vitam in ancipiti eſſe, ſeque cum ſuffocatione colluctari. Nec caruit prognoſis eventu; ſiquidem die octavo noctis horâ ſecundâ ſuffocatus periit. Vocatus ego dum in agone eſſet æger, curruque licet celerrimo vectus, tamen mortuum jam offendebam, duabusque Comitibus quæ pariter celeri curru ad viduam advolaverant, edicebam, mihi veriſimile videri, quod magna aliqua circa cor remora ſubſit. Sectus igitur in præſentiâ Illuſtrium plurium perſonarum, triumque priorum medicorum defun-

functus, laryngem planè s. n. constitutum offerebat, ast quamvis in pulmonibus parvi aliqui noduli se exhiberent, tamen ex eo capite minimè morti subjici debebat; ast occurrens circa vasa mojora cordis carnosus polypus, cum scirrho lienis causa erat insuperabilis asthmatis illius perpetui & reliquorum symptomatum. In reliquis visceribus nil reperiebatur â statu naturali deflectens. De respiratione difficili â polypo cordis *vid. Dec. 2. Misc. Nat. Cur. A. X. Obs. 174.*

Observatio LIX.

Catarrhus pectoris chronicus sanguinis eductionibus sublatus.

Quantopere tam in diagnosi, quam prognosi, & therapiâ multorum morborum fallantur, qui congestionum sanguinis ad certa loca ignari, nescientesque, quam benè, imo unicè, ab illis dependentia varia molimina spastica & dolorifica, seu spontaneis cruentis excretionibus, sive per artem institutis eductionibus frequentissimè finiantur, ii optimè norunt, qui sæpe deprehendunt, etiam in ipsis catarrhalibus, sero quasi unicè adscriptis, affectibus non nisi sanguinis congestionem pro fundamento subesse, quâ ejusdem missione discussâ, ii tandem affectus expugnantur, qui medicamentorum variæ & co-

piosæ farragini inexpugnabiles prius videbantur, & existebant. En hujus rei exemplum. Deportabatur Olaviâ in nosodochium A.A.R.R.F.F. Misericordiæ medio Majo A. 1712. Polonus 41. annorum, habitus carnosi, rubræque faciei. Hic per octo annos duram militiam secutus, & jam inter excubias Serenissimi Poloniæ Principis Jacobi Officialis munere fungens, cum olim ter venâ sectâ se â quodam morbo vendicasset, & postea quotannis mense Martio hoc salutari auxilio se tutum â morbis reddidisset, hujus hoc ipso anno neglectu id effecit, ut ultra 6. septimanas validissimam tussim humidam incurreret, cum constrictionibus circa abdomen, quasi â cingulo, doloribusque tam circa pectus scindentibus, (es dünckte ihn / als würde die Brust mit Messern zerschnitten/) quam circa frontem & radicem nasi punctoriis. Medicus itaque loci ad dolores pectoris, & ἀνωκάθαρσιν materiæ viscidæ viridescentis respiciens, phthisin incurabilem prædicendo, ipsi ut sibi de alio medico prospiceret ansam dedit. Ego verò moliminum hæmorrhagicorum, præsertim verno tempore, memor, mox venæsectionem proponebam, quâ in pede d. 20. Maji celebratâ, mox circa pectus levabatur, nisi quod adhuc tussi viscida multa ejiceret, nec capitis punctiones cessarent; evacuatione itaque per ▽ laxativ. Vienn. opus esse

esse credens, post illam essent. pimpinell. scord. succ. castor. & croc. c. pulverib. ex absorbent. ♄ d. lap. ♋. pulv. item pect. resolv. Wed. c. nitr. præter infusum theiforme, propinabam: quia verò d. 24. punctiones & pulsationes circa frontem & radicem nasi cum muci viridis purulenti excretione redirent, atque id quidem cum his notabilibus circumstantiis, ut unicè circa meridiem, nunquam autem noctu caput doleret, capitique tum benè esset, cum pectus gravaretur, pediluviis periodicæ cephalalgiæ obviare, & saccharo canariensi per nares liberiorem exitum muco purulento procurare constitui; ast quia nondum penitus hæc symptomata cessarent, tandem d. 30. Maji scarificationes inferioribus, & cucurbitulam siccam dorso admovi, quas saluberrimus effectus excepit, sic ut cum prius pilulis ex extr. helleb. resin. scamm. ☿ d. &c. corpus expiassem, appetitus & reliqua exoptata sanitas tam egregiè rediret, ut d. 6. Junii cum prolixâ gratiarum actione Olaviam iterum abiret, non tamen sine gravi monitu, ne tam salutare auxilium inposterum circa æquinoctia verna negligeret.

Observatio LX

Paralytici cura & Anatome.

DEferebatur ad A.A. R.R. F.F. Misericordiæ d. 1. Jun. A. 1712. socius textoris 34. annor. qui post abusum lactucæ, acetariorum, & crebras ebrietates ante $\frac{3}{4}$ ann. in paralysin oculi, brachii, & femoris dextri sensim inciderat; jungebatur huic partium affectarum frigus, vertigo, spasmus oris cynicus, loquelæ difficultas, & per vices ἀφωνία, muci viscidissimi defluxus è naso, rhonchi graves constantesque pectoris, liquidorum deglutitio impedita, (unde sæpe per nares resiliebant) alvus morans, urinaque per vices lateritio sedimento turgida. Sola mens & memoria parum adhuc constabat. Quanquam igitur nulla spes reconvalescendi arrideret, tamen A.A. R.R. F.F. Misericordiæ (ceu desperatorum, omnique sæpe humanâ ope destitutorum susceptores) misericordiâ ducti eundem totis viribus sublevare non desistebant. Proinde initium curæ fiebat laxatione ex infus. fol. senn. c. anis. & ♀ ♀ris. quâ obtinebatur, ut ad tempus melius loqueretur, cumque postea ad ductum Magni Wedelii usui mixturæ ex ℞ castor. volat. c. liq. C. C. ∽ magnanim. Lauremberg. & aliis interpolatæ, pulveris item cachect. Wed. c. ℅ caryoph.

caryoph. deniq; infuſ. pugillar. ex rad. pœon. helen. ſarſæp. herb. ſalv. beton. ſerpill. majoran. trifol. fibr. fl. anth. ſtœchad. arab. raſ. l. ſaſſaf. cubeb. coſt. v. item unguent. nerv. c. ℅ deſtill. junctis quoque urticationibus, inſiſterem, d. 13. brachium formicationis ſenſu perfundebatur, palpebræque oculi & femoris motus aliquis redibat, remittente ſimul ſpasmo oris cynico. Interim quia nihilominus rhonchi continuabant, & enormi quantitate muci glutinoſiſſimi nares ſemper ſcatebant, fruſtra erat quicquam conſtantis ſperare, inprimis cum d. 17. ⊡ & ſcybala injuſſa prodirent, d. 27. convulſivi maxillæ motus, imò epilepſia perfecta, tandem d. 29. cruris & femoris convulſio tonica accederet; undè in hoc miſero ſtatu (niſi quod alvus ad conſuetam ſtypticitatem rediret) decumbens, cum prius aliquot ante obitum diebus halitus oris valde fœtuiſſet, rationis uſu carens, ſuffocatus d. 1. Auguſt. periit. Demortui digiti in pugnum erant contracti, liventes, nates quoque livebant, abdomen turgidum, copioſis licet dum viveret flatibus excretis. Sectus oſtendebat cerebri vaſa atro ſanguine turgentiſſima ventriculi cerebri copioſo ſero perlucente referti, pulmones, inprimis in dextro lobo, atri & lividi, quâ dorſum ſpectabant exterius duplici vomicâ obſeſſi, ê quibus diſciſſis pus aquoſum ſaltu exiliebat, copioſa aqua peri-

car-

cardii, cor multâ pinguedine tectum, hepar subpallidum, unâ parte lividum, lien quoque valde, maximam partem, livebat, intestina flatibus turgida. Renes non contemplatus sum. Cernere ex his datur, ex ἀτονία fibrarum per errores diætæ productâ ubivis stagnationes & stases sanguinis & lymphæ obortas esse. De paralytico solida, non verò liquida, deglutire valente confer. Hildan. centur. 5. Obs. 34. qui rarissimum vocat effectum.

Observatio LXI.

Hydrops pectoris cum polypo cordis.

A. 1712. d. 6. Octobr. curru in nosodochium Dnn. F. F. Misericordiæ deferebatur Locumtenens quidam 55. ann. qui â teneris duram militiam secutus, ultra ½ ann. sæpe duritiem & dolorem circa hypochondria, aliquando discussum, senserat, cum anxietate & angustiâ præcordiali, palpitationeque magnâ cordis, quæ tanta erat, ut in lecto ob metum suffocationis non posset decumbere, unde perpetuò desidere cogebatur; crura & pedes erant œdematosa, appetitus nullus, ventriculus eructabat, sitiebat, pulsus deprehendebatur magnus & celerior, non tamen intermittens, aut intercurrens, ☐ rubra, mori

mori ob tantas augustias quam vivere optabat. Balneator aliquis ter enormi quantitate sanguinem detraxerat, daß gantze Becken voll worden/ cui errato deteriorationem morbi familiares adscribebant. His omnibus auditis, insuper exploratis hypochondriis, & in hypochondrio dextro scirrhosâ duritie deprehensâ, dixi ego me quidem medicamenta ipsi ordinaturum, interim ex circumstantiis patescere hydropem adesse pectoris incurabilem, nisi Deus miraculo adfuerit, cum polypo cordis, & scirrho hepatis stipatam. Quod igitur tali patientis statui generosa auxilia magis nocitura quam profutura crederem, cum nec his nec mitioribus aliquid profici amplius posse manifestum essent, solum ordinavi sequentia. (1) arcan. ♀. c. ℞ rub. Bontek. (2) arcan. d. c. ebor. s. △. ♁ mart. cinnab. ☽ lap. perc. (3) rob. ebul. samb. junip. (4) decoct. ex rad. bardan. cichor. pimpinell. sem. dauci, fœnic. cui spirit. nitr. d. instillari jubebam. D. 8. ☐ copiosior erat & minus tincta, interim anxietati nil detrahebatur, cui ferendæ diutius impar æger optabat, ut modò inveniretur, qui vitam miseram tantis angustiis comitatam sibi eriperet. Ast non opus erat hoc voto, siquidem postquam paulo ante die decimo manè sermonem cum aliquo miscuerat, mortuus concidebat. Ut igitur defuncti voto, quo exta sua post mortem inspici desidera-

deraverat, satisfieret, sectionem institui. Aperto igitur thorace serum cruentum ad duas circiter mensuras occurrebat, pulmones visebantur lividi, nodis tamen & vomicâ carentes, circa cor verò, valde magnum & robustum, polypus solidus inveniebatur, cum magna in vasis copiâ atri coagulati cruoris, hepar per totum scirrhosâ duritie obsessum, versus diaphragma magnâ quâdam peculiari eminentia dotatum, quæ diaphragma sursum protrudendo ibi cavitatem thoracis augustiorem reddiderat. Ulterius sectionem prosequi tempus non vacabat.

OBSERVATIO LXII.

Clavicula sinistra cariosa feliciter exemta.

A. 1712. d. 15. Octobris filius Sculteti in pago Schechnitz 9. annorum nosocomio Dnn. F.F. Misericordiæ inferebatur. Is (quod sub curâ tandem ægrè confessus est) ab equo delapsus, & cætera, ut solent rusticorum pueri, ingluvie tum aliorum ciborum, tum fructuum horæorum, sæpe immaturorum, peccans, ante aliquot dies horripilavit, successit circa claviculam sinistram sub inguine sinistro genuq; sinistro dolorificus quidam durus, licet levis, tumor. Dato leni laxante postea exhibebatur (1) essent. alexiph. Stahl. & li-

&lignor. (2) pulvis ex ♁ d. lap. perc. cinnab. ☽. (3) liniment. nervin. D. 17. dolor circa inguen major cum duritie; cataplaſma hinc emolliens cum croco impoſitum, ⊡ naturalis aſt craſſior. D. 19. ſupra claviculam tumor rupit, materiâ craſsâ & ſpiſsâ exeunte. D. 21. ⊡ crasſima cum groſſo albo ſedimento, redibat appetitus, tumor circa inguen molleſcens detumeſcebat, bibebat infuſum veronic. & fœnic. adjuncto uſu elix. propriet. & pulv. ex lap. ♋ conch. ♁ d. ☽ arc. d. D. 24. ⊡ ſemper craſſa Dn. Fr. Coſmas Armbruſte / è cœtu Dnn. F. F. chirurgus noſocomii peritâ dexteritate inſignis ſinuoſitatem abſceſſus circa claviculam inciſione dilatans illam albam in parte ſupernâ reperiebat; cum vero inferius inſtrumento exploratorio ipſam contingeret, aſperamque deprehenderet, hinc cariem ibidem latitare mecum decernebat; inguinis tumor dolore carebat: ordinabantur (1) infuſum veron. tuſſilag. aniſ. (2) pulv. ex lap. ♋ ♁ d. c. balſ. ♀ aniſ. exterius vero, ſi poſſibile, euphorbium cariei imponendum. D. 26. genu etiam â dolore immune erat, pulſus tamen citatior, habitus aridus & ⊡ albo ſedimento turgens; cibos nimis appetenti aliquantulum detrahebatur, jubebaturque laxans ſumere, poſteaque dabantur lap. ♋. c. ☽, ♁ d. eſſent. lignor. ♁ decoct. lignor. c. veron. heder. terr. fœnic. D. 28. ⊡ clara,

ala-

alacrior erat, habitus non ita ut prius aridus. D. 31. eadem, post impositum emplast. contr. rupt. circa inguen, ejusdem tumor & durities penè disparuit, sic ut ad breve tempus, quod hactenus nequivit, pedi insistere posset. D. 2. Novemb. ☐ tincta, ⊕ â pulveribus remotum. D. 3. in claviculæ infernâ parte adhuc scabrities aderat & os fractum observabatur; in inguine omnia bona, genu vero unguento nervino fovebatur. D. 9. digito meo claviculam premens os fractum percipiebam. D. 11. incisio super claviculam amplius producta citra magnam hæmorrhagiam, pro dilatatione vulneris turunda ex radice gentianæ intrudebatur. D. 12. ulcere amplius dilatato, clavicula aspera deprehensa, adeoque cariosa; inferior pars scalpro abradebatur, cavitate undique plumaceolis expletâ, desuper imposito emplastro. D. 16. cum abrasio ossis quidem tentaretur, interim nec oculus eò penetraret, nec scalprum istuc ritè applicari posset, de exemtione totali consilium cum Dn. Fratre Cosma inibam: licet enim quædam rationes occurrerent, quæ me ab illo absterrere possent, inter quas erat, quod os claviculæ esset simplex, adeoque motus brachii deinceps lædi posset, (quam rationem inprimis quidam ex primariis medicis, cui mentem meam circa hanc operationem instituendam aperueram, urgebat; nam quod tibiam corruptam Scul-

tetus

tetus Obſ. 81. ſcalpro feliciter exciderat, & Dn. Fr. Coſmas quondam ex ſtudioſi ulnâ, ſpinâ ventosâ laborante 30. particulas pari ſucceſſu ſe exemiſſe affirmaret, facile concipi poterat, feliciter illæſo motu iſtorum membrorum evenire potuiſſe, quod natura & brachium & crus duplici oſſe inſtruxerit, quorum uno ablato alterum pro fulcimento reſtat,) attamen dum legiſſe me memineram claviculâ ſublatâ non penitus motum brachii impediri, ſed debilius ſaltem tum moveri poſſe, inſuper ſpes eſſet poſt uſum diluentium & abſorbentium medicamentorum demtâ acrimoniâ humorum, ſuccis gelatinoſioribus factis, præſertim in puero, ex utraque oſſis remanente extremitate ſuccum nutricium in callum ſolidatum utrinque coire, & ſic fulcimentum calloſum evenire poſſe, non difficulter conſilium hoc amplecti mihi viſus ſum, præſertim dum puer per Deum rogaret, ſe quævis pati paratum, modo â teterrimo fœtore, cui amplius ferendo par non eſſet, liberari poſſet, & ſane erat tanta conſtantia in hoc puero, ut more Spartanorum puerorum citra fletum & detentionem violentam modò ſimila promitteretur, jam aliquas dilatationi ulceris neceſſarias inciſiones pertulerit, (quæ fortitudo pueri vel Locumtenenti, proximo ipſi clinico, ſtupenda videbatur.) Ut proinde impedimenta generoſæ curationi obfutura eò ple-

I nius

nius removerentur, corpus d. 19. pulvere ex jalappâ cum ♁ d. & ♀ ⊕ denuò expiabatur; cumque d. 20. tumor dolorosus inguinis & genu penitus sublatus esset, ut jam stare & rite ambulare posset, (quod hactenus facere nequiverat) d. 24. forcipe ad modulum, quem Solingen Tab. 8. fig. 2. delineavit, paratâ clavicula maximam partem exemta fuit, non sine insigni gaudio pueri, quod jam abominando fœtore careret. Os exemtum hinc & inde cariosum conspiciebatur: Chirurgus vulnus balf. peruv. al. myrrh. medicabatur, pro interno vero usu elix. balf. Hoffmann. c. essent. scord. & pulv. ex lap. ♋. ♁ d. conch. c. balsamo-sacch. peruv. dabatur. D. 27. diarrhœa cum aliquo æstu p. n. sequebatur, (quam expertus nostræ urbis quidam Chirurgus post ossa exemta solenniter quasi succedere affirmabat.) D. 30. quod axilla doleret, & æstus aliquis p. n. emergeret, utrique obviam ibatur, essent. alexipharm. Stahl. c. ℞ bezoard. Wed. & pulv. ex lap. canc. ♁ d. ⦶ & cinnab. externè axillâ linimento nervino fotâ. Notandum quod his diebus adhuc una vel altera particula ossis cariosa eximenda fuerit. D. 31. fortiter calebat noctu. D. 5. Decemb. calor & diarrhœa per vices emicans, item urina alba glutinoso sedimento fœta cessabat, axilla prius tangi renuens jam fere citra dolorem tangi poterat, maritabatur hodie essent.

alexiph.

alexiph. Stahl. c. elix. balſ. Hoffm. D. 6. oſſicula duo iterum exemta, dolor axillæ minor. D. 12. quia fœtor & dolor conſtanter ceſſabat, ulceri conſolidando animum adjecimus: aſt cum nimiâ repletione tertianam reportaſſet, dato ♀ emet. & antifebrifugis d. 26. Decemb. febri defunctus eſt, ſanusque noſodochium reliquit, brachium ferè ut prius movere valens. Hic puer poſt aliquot menſes valetudinarium inviſens Dn. Fr. Coſmæ locum unde os ablatum ſciſcitanti ibidem duritiem obtulit, claro indicio, id contigiſſe, quod præſagieram, ſuccum nempe utrinque exſudantem in calli duritiem concreturum. Notabile alias eſt claviculæ oſſa ſex primis â conceptione hebdomatibus tota eſſe oſſea, eademque eâdem ſtatim formâ & figurâ reperiri, quam in ætate provectis, ut meritò judicio Kerckringii c. 16. Osteogon. fœtus, poſſint vocari πρωτογενέα, quod credit â ſapientiſſimo Creatore ideò juſſum, ne ſcapulæ & ſternum initio prorſus cartilaginea ſi citra tale forte ſulcimentum eſſent, collapſa corculum opprimerent.

Observatio LXIII.

Phthiſici Anatome.

Pictor non ignobilis, Vienna Auſtrius, 33. ann. poſt hæmoptyſin immodicam, in

quam præviis prius diuturnis periodicis circa pectus doloribus punctoriis inciderat, & sub quâ per sex septimanas quotidie ferè mensuram sanguinis spumosi cum tussi ejecerat, postquam eandem consilio cujusdam chymico-medicastri apud nostrates non paucos (quantum saltem ego memini) ægrotos pessundantis, pulvere quodam rubro, nigricanteque tincturâ ad 12. guttas datâ (quæ fuerint medicamenta vix Oedipo conjectore opus erit) inhibuisset, phthisin incurrit. Illatus igitur d. 17. Octobr. 1712. nosocomio Dnn. FF. Misericordiæ, cum consumtionem corporis, calorem hecticum, pulsum frequentem, oppressionem pectoris, cum dyspnœâ & tussi siccâ, vomitumque ciborum offerret, statim prognosin de phthisi lethali concipiens, eandem post ortam d. 25. diarrhœam morte placidâ d. 27. secutâ implevit. Cadavere aperto lobus sinister pulmonum dorso in parte superiori videbatur accretus, exterius hydatides, & scirrhosa tubercula hinc indè comparebant, dissectus vero per totam substantiam undique cuniculosis vomicis scatebat, imprimis vero circa locum, ubi dorso accreverat pulmo, abscessus magnus membranam externam mox perforaturus, & multâ sanie putridâ scatens detegebatur. Dexter lobus non ita putridus, hepar sanum, nisi quod extrema ejus quasi fimbriâ lividâ (qua-

lis

lis livor itidem in partesimâ hinc & inde occurrebat) cincta comparerent. Cartilago duarum costarum ossescens, pinguedo pectoris fere consumta. Reliqua ob fœtorem ê putridis pulmonibus exhalantem transmissa.

OBSERVATIO LXIV.

Alius phthisici anatome.

CUbicularius Illustrissimi DN. Comitis ab Hatzfeld 36. ann. faciei flavæ, olim sputo cruento affectus, & ante ½ ann. hæmorrhoidum fluxum copiosum passus, postquam febri continuâ cum intercurrente horripilatione, non sine dyspnœâ, tussi, & dolore pectoris gravativo definito laborans, medicorum sui DN. diligentiam frustraneam expertus esset, d. 12. Decemb. A. 1712. in nosocomium Dnn. FF. Misericordiæ delatus, efflorescentibus d. 19. cum sudore fœtido per aliquot dies vesiculis prurientibus, (quibus alvus sicca, hæmorrhoides cæcæ, & tenesmus complicabantur) remissionem quidem caloris p. n. & symptomatum circa pectus experiebatur; ast cum excretio hæc peripherica d. 31. Decembr. desiisset, luctu ex uxoris morte profundo interveniente febri hecticæ putrida quarto quovis die cum horrore invadens jungebatur. Sub quibus paroxysmis semper de pectoris dextri prope diaphragma

dolore querebatur; aderant per hos dies non ſolum rubræ, craſſæ, ſed & atreſcentes urinæ inſtar cereviſiæ noſtræ ſaturatioris. Excipiebat haſce urinas (quæ durante quartanâ hac putridâ atreſcebant,) hæmorrhoidalis iterum teneſmus cum tumore aliquo pedum, & ſudoribus colliquativis: durante igitur illo dolore thoracis dextri, augeſcenteque indies debilitate & tabeſcentiâ, poſt dejectiones inſtar albuminis ovorum, & tandem diarrhœam exortam, d. 8. Martii præviis dejectionibus fœtidis, cum frigore manuum & anxietate ſuffocativâ junctâ, integrâ ratione obiit. Sectus, quod ipſe expetierat, cutem oſſibus hærentem oſtendebat, paucula pinguedo bilioſa. Aperto thorace copioſum ſerum bilioſum cavitatem ejus inundabat, ſuper mediaſtino veſiculæ plures bulloſæ, cor undiq; pinguedine brunnâ hytatides æmulante tectum, lobus pulmonis ſiniſter parum accreverat, ſparſim vomicis cuniculoſis pus feculentum griſeum fundentibus perforatus; aſt dexter ferè penitus validè accretus erat, ubi dolorem ſemper hærere oſtenderat, copioſius tale pus ſtillans; aderant etiam ſparſim nodi ſcirrhoſi, ventriculus contractus, pancreas paulo induratum: hepar ſanum & magnum, niſi quod in extremitate parum liveſceret, veſicula bilis magna, lien magnus, unâ parte liveſcens, alterâ purpureâ, quæ etiam diſciſſa

in-

interius hos colores exhibebat. Inteſtina diverſis ſpatiis glandulis induratis obſeſſa, hytatides inſuper bilioſo ſero repletas ſiſtebant. Vena aliqua meſenterii calamum ſcriptorium ambitu ſuo ferè adæquans, diſciſſa ſive lympham, ſive pus ſpiſſum plorabat, & hinc fortasſis dejectiones albumen ovi æmulantes oriundæ fuerant.

Observatio LXV.

Hydropici cura & anatome.

MErcenarius 36. ann. homo pinguis & ſtupidioris ingenii, dyſpnoos exiſtens, cum anguſtiâ pectoris, poſtquam coactus eſſet ex cellâ calce viva repletâ aquam ex illuvie Oderæ ſtagnantem nuper exportare, hydropicus inde evadens, diuque in ſtabulo decumbere durâ paupertatis lege coactus, in tali miſero ſtatu benevolos implorabat Dnn. FF. Miſericordiæ. Ab iis igitur d. 7. Dec. 1712. ſuſceptus, offerebat abdomen aſcite, cruraque & femora œdemate obſeſſa; cum dyſpnœâ, tusſi, ſiti, calore p. n. labiis ſiccis & urina brunnâ; proinde ex tam pravis junctim viſendis ſymptomatibus mortem niſi ope divina non evaſurum prædicens, ordinavi (1) clyſma ex herb. gratiol. fol. ſenn. ſem. chamom. carvi & ⦶ ♁. (2) pulv. ex lap. percar. ♁ ♂ c. rob. junip. & ebuli (3) arcan. ☿. Quan-

quam igitur â clyſmate copioſa fœtida materia educeretur, (ſo daß es wie ein Zapffen von ihm geſchoſſen/) tamen die 8. & 9. adeo febricitabat, ut cum ſubſultu concuteretur, urina erat craſſa & turbata. Interim ſudore copioſiſſimo orto d. 10. alacris ſe erigebat, lætusq; ſtatum morbi ſui hodie deſcribebat, (cujus cum noſodochio inferretur ne verbo quidem mentionem, vi morbi preſſus, facere poterat) abdomen minus turgebat, œdemaque ex femoribus diſcuſſum videbatur, tuſſi inſuper mitiori exiſtente, cum reſpiratione faciliori, pulſuque tardiori & robuſtiori, ⊡ rubra clara: ſumere jubebatur ad ſerum ex abdomine per alvum magis expurgandum, pilularum cephalicarum numero 4. copioſis decem dejectionibus hinc ortis abdomen magis detumeſcebat, febrili tamèn paroxyſmo d. 11. redeunte; fluebat iterum ſudor, ⊡ ſemper rubra: ordinati (1) pulv. ex ♀ ⊕ arcan. dupl. ♁ ♂, ⊕, c. rob. junip. & ebuli. (2) mixtura ex eſſent. trifol. fib. abſinth. anticachet. d. 14. hodiernæ febrili exacerbationi deliria jungebantur, abdomenque, femora, & pedes iterum intumeſcebant, ſitis erat urgens, ⊡ rubra; mixturâ ſepoſitâ pulverem ſolum imperavi & clyſma laudatum. D. 15. facies intumeſcere cœpit, artuum quoque & abdominis tumor auctus eſt, ⊡ & deliria continuabant: adverſus ſitim clamoſam ordinata potio ex

deco-

decocto radic. bardan. helen. cichor. ſem. aniſ. fœnic. dauci c. ⁓ ⊖ & alia quædam. Interim omnibus fruſtra exiſtentibus poſt aliquot dejectiones debilitatus, genubusque innixus d. 18. exſpirabat. Abdomine in præſentiâ duorum aliorum medicorum noſtratium inciſo, mox ſerum bilioſum effluebat viſcera inundans, (ſub morbo enim irâ frequenter efferveſcere ſueverat.) Hepar, lien, & renes ſatis ſana, veſicula bilis turgida, lien in medio craſſus, inciſuris in extremitate tribus inſignis, pancreas paulo durius, omentum ferè conſumtum & ſphaceloſum, hytatides multæ, ſero bilioſo transparente, glandulæ ileo adhærebant magnæ, partim mucilagine repletæ, partim gelatinâ biliosâ turgentes, inteſtina livida & inflata; in thorace ſerum bilioſum extravaſatum, quale quoque in pericardio translucebat, pulmones exterius ſparſim nodis parvis diſtincti, dexter lobus anterius craſsâ membrana pleuræ, ſicuti hepar peritoneo anterius pari ratione adhærebat, unde nonniſi cultello eâ parte utraque liberari poterant, in ventriculo ſiniſtro cordis ſubſtantia gelatinoſa flava, ſubrotunda, magnitudine ferè ovi gallinacei, in dextro etiam hujus aliquid hærebat, ex aortâ â corde ad axillam usque ejusdem ſubſtantiæ pſeudopolypus extrahebatur. De Hydrope illæſo hepate, liene, & renibus, partim â glandulis

meſenterii, pancreateque indurato, partim â polypis cordis vid. *Bonettus in ſepulchreto*, ubi meminit materiæ gelatinoſæ in glandulis & corde repertæ, item alius materiæ in corde medullam calidam ſubſtantia & conſiſtentia referentis.

OBSERVATIO LXVI.

Anatome phrenitide occultâ demortui.

DIe 12. Decembr. 1712. in noſodochium Dnn. F. F. Miſericordiæ deportabatur vir 80. annorum officinæ monetariæ inſerviens, qui, relatu illorum, qui hominem deportaverant, toto vitæ ſuæ tempore in nullo lecto decumbere, aſt fumi nicotianæ & 🜄 abuſui enormiter indulgere ſuetus, delirio ſilente correptus fuerat, ſub quo tamen ita inquietum ſe gerebat, ut lecto alligari cogeretur; carebat alias ſiti, caloreque & pulſu p. n. cum igitur per triduum taciturnus ſic & ſecum quædam, quæ intelligi non poterant, murmurans, lectumque permerdans decubuiſſet, viribus ſenſim defectis poſt validas convulſiones d. 15. exſpirabat. Demortui cadaver externè undique livebat; cumque ſecto cranio DN. Fr. Coſmas ollam detrahere conaretur, ecce totum cerebrum, ob firmam duræ matris accretionem, extrahebatur; in cere-

cerebro nil præternaturalis occurrebat, niſi quod ſub piâ matre aliquot parvæ vomicæ occurrerent, ſiniſter pulmonis lobus pleuræ accreverat, reliqua viſcera benè erant conſtituta.

Observatio LXVII.

Empyema diarrhœa ſolutum.

Polonus 20. ann. ſatelles Colonelli cujusdam Poloni, homo carnoſus, hæmorrhagiæque narium ſæpe obnoxius, poſt copioſas & frequentes ingurgitationes 🜅 more Polonorum prægreſſas, (ſie ſauffen Feuer und freſſen Feuer/ quia ſcilicet 🜅 & pipere delectantur) cum is febri irregulari tempore æſtivo correptus æſtum minus patienter ferret, adeoque ſtrenue frigidam hauriret, corticeque peruviano citius quam convenerat febrim profligaret, aliquot ſeptimanis poſt profligatam febrim in hæmoptyſin, tandem empyema incidit. Quia igitur d. 26. Decemb. 1712. in noſodochium DN. FF. Miſericordiæ ſuſceptus cum pulſu celeri & ſatis debili, tuſſi pituitam cruento purulentam expectorans, dolorem etiam & gravitatem pectoris ſentiret, empyematis ſuſpicio mihi naſcebatur. Hinc ordinavi (1) pulv. ex pulv. pect. balſ. Wed. c. lap. ♋ ⦶ & ſperm. cet. (2) potionem ex 🜄 cerefol, ſcabioſ. c. ſir. papav. rh. (3) emulſio-

ſionem ex amygdal. d. ſem. card. ben. mar. & ▽ prædictis. D. 28. pravis ſignis apparentibus dum hæmorrhagiæ narium diarrhœa debilitans jungeretur, ægerque in genâ dextrâ rubens c. pulſu debili ac ſiti nullum levamen doloris & gravitatis in pectore perſentiſceret, ac quod purulentum expectorabat, id ex atro brunnum eſſet, nihilominus in uſu diligenti medicamentorum pergere juſſi; ordinabam proinde præter potionem & emulſionem dictam, quæ ſemper porrigebantur, pulv. ex lap. ♋. mat. perl. pulv. pect. balſ. & ſperm. cet. item mixturam ex eſſent. ſcord. & helen. Hinc licet d. 3. diarrhœa adhuc perſiſteret, â quâ paulo languidior evadebat, nec poſt viſcidæ materiæ ἀνωκάθαρσιν pectoris anguſtia & dolor admodum levaretur, tamen quod vultus alacritatem aliquam præferret, pulſumque fortiorem ac ☐ minus tinctam exhiberet, (quamvis veſperi ut hactenus ſub exacerbatione febrili langueret) ſpem vitæ abjectam reſumebam. Hinc potioni & emulſioni, quæ per totum morbi ſtadium propinabantur, adjungebatur uſus (1) pulv. antipleurit. Wed. c. lap. ♋. (2) eſſent. ſcord. & elix. pect. Wed. (3) ſpec. pro infuſo theiformi, cui unguentum rubrum potabile maritabatur, ex rad. rub. tinct. glycirrh. herb. veron. ſcabioſ. heder. terreſt. fl. bellid. hyper. papav. rh. â quibus diligenter uſurpatis d. 2. Januar.

inſi-

insigne levamen deprehendebatur, quanquam enim nares sæpe cruentarent, respiratio etiam adhuc paulo difficilis cum tussi restaret, tamen pulsus tardius & robustius vibrabat, æstus ferè erat discussus, facies s. n. ☐ citrina visebatur, dejectiones erant rariores, nec amplius purulenta expectorabat, & appetitus parum redibat. Usui igitur dictorum, inprimis specierum (quæ valdè insignis efficaciæ deprehendebantur) sedulò sic insistens æger d. 5. facilius respirabat, minusque tussiebat; hinc d. 9. ordinata mixtura ex essent. scord. elix. pect. Wed. essent. travmat. ejusd. c. bals. 🜂 anis. quæ cum prioribus speciebus continuata ægrum ab omnibus pro conclamato habitum perfectæ sanitati divina gratiâ restituerunt, sic ut purgatione prius instituta d. 20. sanus summo sui ac Domini sui Illustrissimi gaudio nosodochio valedicere potuerit.

OBSERVATIO LXVIII.

Quartana pertinax salivatione curata.

QUi mercurium ῥιζότομον pertinacium morborum vocant, â vero non abludunt, penetrat certè illic, unde alia remedia excluduntur, & resolvit coagula humorum, quæ omnibus aliis prius frustra tentabantur. Sentie-

tiebat hoc in nosocomio Dnn. FF. Misericordiæ Fabricatoris pileorum socius, 28. ann. Hic cum in nosodochio nostræ civitatis adversus quartanam per quatuor menses varia medicamenta sumsisset, quibus quidem effectum fuerat, ut febris per brevia intervalla conticesceret; interim quod nihilominus gravativa presſio ventriculi & dolor hypochondrii sinistri duraret, febrisque repullularet, d. 20. Febr. 1713. penes Dnn. FF. Misericordiæ remedium poscebat. Quanquam igitur infuso febrif. laxant. Hoffm. tum diversis mixturis ex ℞ ♂ helleb. c. arc. ♀, ℞. ♀. c. ♒ ⊖ ✱. & ☍ caryoph. pulveribus item variis ex arcan. dupl. salibus alcalicis, reg. ♁. medic. fl. ⊖ ✱. conch. ppt. obviam iretur, tamen omnia frustra erant; sub frigore enim forti capitis dolor & tensio artuum persistebat, gravatioque & inflatio ventriculi â pastu cum appetitu nimio & dolore hypochondrii per vices continuabant, ita ut dum oleum & operam me perdere cernerem, tandem (quia in cura cujusdam A. R. F. quartanæ contumacia pulvere ☿ quem celeberr. *Hoffmannus in dissertat. de Curatione quartanæ* descripsit, domata fuerat) decrevi eundem pulverem denuo in hoc ipso ægro experiri: constat vero hic pulvis ex limat. ♂. ʒj. chin. chin. ℥iß. ☿. d. ⊖ absinth. arcan. dupl. ã. ʒß. laud. op. gr. iß. in sex doses dividendus. Postquam igitur

5. do-

5. doses â d. 11. Martii consumtæ essent, circa d. 17. salivatio incipiens tandem d. 27. circiter desinebat; eventus is erat, ut die 22. circa pectus & abdomen melius degeret, respiratioque facilior fieret; ast quia nihilominus paroxysmus non penitus cessaret, datâ d. 28. rad. asari in vino maceratâ, quamvis inde initio vomeret, secutâ tamen postea d. 31. Martii & d. 3. April. copiosissimâ diuresi urinâque existente plane naturali ultimò in usu mixturæ antifebrilis Hoffmanni continuans, penitus ab eo tempore quartanâ caruit, d. 15. Apr. sanus nosodochio valedicens. Dum hic æger in actu salivatorio esset, magna frusta pituitæ salivæ fluidæ admixta excernebat, dolebatq; caput & dentes insignissimè, quæ omnia tamen salivatione finitâ & decocti lignorum aliorumque simultaneo usu tollebantur.

OBSERVATIO LXIX.

Ulcera steatomatosa partim incisione, partim salivatione & usu sedi vermicularis curata.

Suscipiebatur â Dnn. FF. Misericordiæ d. 31. Martii A. 1713. servus rustici 22. ann. homo tardi & stupidi ingenii, ulceribus chronicis in facie & brachiis cuniculosis subter cutem serpentibus extortus. Hunc cum medicamenta, quæ constabant (1) pulvere dige-

stivo

ſtivo ☿li. (2) purgante ex reſin. galapp. ſcammon. ☿ d. ♄ d. & ⊕ ♄to compoſito, (3) decocto lignorum primario & ſecundario cum rad. ſcrophular. & bard. parato (4) ♄ ♂ c. abſorbentibus maritato, parum juvarent, inciſio fiebat, & injectiones parabantur ex decocto croci metall. ſabin. & ▽ Calc. viv. cui unguentum ægyptiac. admiſcebatur. Aſt cum tenacitas ulceroſa terebinthinæ æmula talia adhuc aſpernaretur, DN. Fr. Coſmas meo ſuaſu crocum metallorum præſentiori cum effectu, item unguent. ægyptiac. cui ☿☰tatus miſcebatur, adhibebat. Interim dum glutinoſus ſtatus ipſius maſſæ ſanguineæ per interna mitiora nondum corrigeretur, accedebam tandem d. 24. April. ad ſalivationem ☿lem. Abſumtis igitur ☿ d. ℈iv. extracto fumariæ incorporalis, ægrè d. 13. Maji ſalivare incipiebat, qua ſalivatione per aliquot dies producta nihilominus ulcera ſteatomatoſa alia poſt alia repullulabant. Memor igitur, quod *Dec. 1. A. VI. Obſ. 22.* ſedum vermiculare minus tum aliis in caſibus, tum in ulceribus admodum commendetur, ſtatui in hoc gregario ejus rei experimentum facere, & ſanè non carebat promiſſum effectu, ſiquidem poſtquam hunc ſuccum cum cereviſiâ ebullitum aliquandiu quotidie manè bibiſſet, (unde utplurimum vomebat, quod bonum eſſe ſignum loco

alle-

allegato affirmatur) concurrente insuper manu Chirurgi externa abstersione cum prædictis topicis & in fine exsculpto fonticulo d. 19. Junii ulceribus carens lætus abibat.

Observatio LXX.

Puella quartanaria ulcere digitorum pedis carioso chronico laborans feliciter sanata.

Offerebatur DN. Fr. Cosmæ puella pauper 12. annor. curanda, hæc ulcere chronico digitorum pedis sinistri per quinque annos afflicta, præterea quartanâ â multis septimanis laborabat. Judicans ergo ego, quod sub ulcere cariosa ossicula delitescerent, incisionem præmisso purgante suasi. Fecit id more suo non minus alacriter quam dextrè DN. Fr. Cosmas, & quidem manè illius diei, in quem febrilis paroxysmus incidebat; firmiter igitur calcitrantis horribiliterque clamantis & sub anxietate propriam matrem mordentis puellæ manibus pedibusque ligatis operatio instituebatur, eo quidem faustissimo cum eventu, ut eô ipso die & in posterum quoque febris quartana constanter fugaretur, & ossiculis cariosis exemtis, quæ figura num. 1. punctis suis ostendet, ulcus perfecte clauderetur. Puella alioqui

post officula extracta nullâ in ambulando molestia laborat.



Ad figuram I.

A. Incisio prope pollicem pedis.
B. Incisio prope digitum minimum.


Cavitas ê qua 27. officula majora & minora exemta, ubique nihil remansit, præter officula ad pollicem pedis spectantia.

Observatio LXXI.

Sudor immodicus curatus.

OFficialis quidam 36. ann. homo longus nec valde carnosus, cum, post iter Stutgardiâ ad nostram urbem peractum, promissum militare officium non adipisceretur, inde animum dejiciens, post profundam tristitiam & magnam solicitudinem quotidianâ febri

febri circa noctem cum magno languore & immodicis ſudoribus corripiebatur. Igitur cum febri quidem jam carentem, aſt ſudore perpetuo noctu diuque cum maximâ virium debilitate & tabeſcentiâ corporis diffluentem, animoque inſuper intime conſternatum Dnn. Fr. Miſericordiæ ſuſciperent, d. 30. Martii A. 1713. ſequentibus curam aggreſſus ſum. Dedi nimirum (1) ⏜ ⏀ dulc. c. eſſent. cort. ☉ & lign. aloes (2) electuar. ex conſerv. roſar. ſpec. de hyac. corall. pulv. cort. cit. ſir. rub. id. aſt cum parum ſic proficerem, ac die 2. April. oculis concavis ſudore ut prius diffluentem cernerem, animo per conſolationes erecto, propinabam ℞. antiphthiſicam Garmann. in ▽ plantag. hinc ſudori frænum injiciebatur, redibatque d. 3. April. appetitus; ob ſuſurrum tamen aurium ſecutum, dabam (1) ℞ ♂ helleb. arcan. ♀ (2) pulv. ex corall. r. conch. lap. ♋ ⊕ ♂ & pulv. cort. cit. & cum d. 5. de anxietate quadam circa cor & caput quereretur, dedi pulverem alium ex conch. corall. c. cinnab. & ⏀, tum etiam elix. balſam. Hoffm. his efficiebatur, ut & hæc ſymptomata recederent, ægerque animo læto, vultu pleno, & viribus receptis d. 7. cum prolixis gratiis abiret.

Observatio LXXII.

Hydrops anaſarco-aſcites cum funeſtis ſignis ad tempus ſublatus, ſed brevi recurrens.

NE credas facile, ſi tumorem hydropicum ſive diureticis, ſive purgantibus diſcuſſeris, nam quando unum ſaltem vel alterum ex funeſtis illis ſymptomatibus, qualia ſunt, tusſis, ſitis, febris, & urina rubra craſſa, tibi κάκωσιν viſcerum demonſtraverint, fruſtra eris magna ſperans de fugato ad tempus, brevi tamen redituro tumore hydropico. Clarius ejus rei exemplum nunquam vidi, quam in cribrario quodam Bohemo. Homo hic pauper 36. ann. poſt potum frigidum æſtuanti corpori ingeſtum, fructus inſuper horarios, caſeum, aliaque dyſpepta varia ingeſta febri irregulari correptus, omnique humanâ ope deſtitutus, hydropicus evadebat. Tumentem igitur crura, femora, ſcrotum, & abdomen, non ſine tusſi ſiccâ, dyſpnœâ, ſiti, doloreque abdominis, cum apud Dnn. FF. Miſericordiæ curandum d. 19. Decembr. A. 1712. ſuſciperem, ſtatim memineram verſus Ovidiani:

Helleborum fruſtra cum jam cutis ægra tumebit
Poſcentes videas, venienti occurrite morbo.

Interim quod urina adhuc citrina, parcè licet, prodiret, & pulſus quamvis parvus tardè tamen

tamen micaret, videbatur mihi tenuis adhuc aliqua ſpes hominis reſtituendi ſupereſſe; & ſane clyſmate ex chamom. ſem. carv. herb. gratiol. ſenn. c. ⊕ ♄. & ⊡ pueri aliquoties iterato, purgantibus itidem variis in formâ pulveris, pilularum & electuarii datis, quin ſemel, cum nauſearet & vomituriret, g. guttæ c. ♀ emetico propinato (unde octies κάτω copioſisſime dejiciebat) tum diureticis etiam diverſis ex rob. ebuli, ſamb. junip. ciner. bufon. arc. ♀. arcan. dupl. milleped. aliisque, denique tonicis & anticachecticis id impetrabam, ut effectâ copiosâ diureſi, largis dejectionibus, quin ſudore etiam ipſo, detumeſcentibus ex toto omnibus partibus d. 8. Februar. A. 1713. omnis hydrops non tantum abigeretur, ſed & terribilia illa ſymptomata, tusſis, ſitis, dolor abdominis, & reſpiratio difficilis deſineret, alvusque quotidie ſuum officium faceret. Quanquam igitur omnes effectum medicamentorum ſtuperent, tamen mihi debilitas virium permanens, & quod nullum robur corpori â cibis (quibus jam cum appetitu fruebatur) obtingeret, aliquid ſiniſtri metumque recidivæ portendere videbatur. Nec fefelli, nam poſt 14. dies ſtatus neutri tusſis redibat, cui mox calor p. n. & pulſus p. n. cum urinis rubris, & parcioribus, tumorque abdominis & reliquarum partium in dies

augescens jungebatur: & jam percepi regulam illam practicam, omnis recidiva deterior suâ radice, si ullibi, certè in hydrope valere, nam quicquid molirer, omnia tamen erant frustra, siquidem omnibus funestis dictis symptomatibus invalescentibus d. 26. April. exspirabat. Cæterum dolui, quod impeditus negotiis sectionem cadaveris instituere nequivi.

Observatio LXXIII.

Anatome marasmo extincti.

VIr 48. annorum macilenti habitus cum capillis rubris quondam castra secutus, cum â frigore, penuriâ, & quod maximum, â mala suâ Xantippe dira passus esset, post febrim quotidianam in marasmum incidebat, cum intertriginositate faucium & obstructione alvi. Destitutus ergo omni humano auxilio â Dnn. FF. Misericordiæ d. 19. April. 1713. suscipiebatur. Quanquam igitur maxima debilitas cum ardore in gutture & strepitu in pectore facile funestam prognosim suppeditarent, præsertim dum profundâ animi ægritudine hominem affligi manifestum esset, tamen fugiens anima medicamentis analepticis & absorbentibus aliquandiu adhuc, & diutius quam Dnn. FF. crediderant, retinebatur. Cum tamen tandem sive præ

debi-

debilitate, ſive ſtudio moriendi ore aperto cum ſiccitate faucium decumbens nil vel ciborum, vel medicamentorum per quinque dies deglutire valeret, vel nollet, & per hos dies crebrò ad ⊡ reddendam, quæ pallida erat & ſpumoſa, ſtimularetur, d. 6. epilepſia præviâ exſpiravit. Sectus maciem ubique oſtendebat, adeo nil pinguis viſebatur: cartilagines coſtarum inferiorum quaſi oſſeæ, in œſophago nil præternaturalis deprehendebatur, omentum ferè conſumtum, veſicula fellis magna, lien itidem valde magnus, mirandum verò, quod erat in renibus, occurrebat. Hi enim intus & extus varis albis (wie weiſe Finnen) magnitudine fermè piſorum confertisſimè erant diſtincti. Reliqua viſcera ob feſtinationem rimari nequibam.

Observatio LXXIV.

Anatome Phthiſici.

Serarii ſocius, habitus macilenti, capillis rubris, cum diu presſione circa pectus cum dyſpnœâ, tusſi, raucedine chronicâ & diarrhœâ afflictus eſſet, in noſodochium Dnn. FF. Miſericordiæ d. 1. Junii A. 1713. receptus, poſt ſumta medicamenta quidem raucedinem emendabat, aſt reliquis mederi fruſtra erat; copioſisſimâ enim ἀνακάθαρσι & ſudoribus colliquativis ſummè marcidus

factus (licet pulsus, quod valde mirum, tardus esset & ad finem vitæ appetitus firmus & ferè nimius perduraret) succedentibus ultimis morbi diebus artuum lancinationibus & dolore ischiadico (qui phthisicis semper malum præsagium præbent) post frigus extremorum siti intensissimæ, anxietati summæ, debilitatique extremæ ac tenesmo urinario junctum, d. 11. Julii exspirabat. Sectus emaciatissimus erat, ê thorace inciso mephitis fœtidissima exhalabat, prodeunte mox in conspectum sero copioso bilioso extravasato cavitatem thoracis inundante, pulmo uterque adnatus, sinister ultra modum: apostemata & cuniculi saniem purulentam plorantes, ubivis magni, inprimis in sinistro lobo, passim etiam scirrhosi nodi, in aortâ & vena cavâ pseudopolypi flavi, hepar maximum satis benè constitutum, lien variis incisuris insignitus & cæruleus, glandulæ mesenterii aliquæ induratæ, intestina passim sphacelata, alibi s. n. omentum & mesenterium pariter sphacelata, uti & musculi abdominis superni cum peritonæo ob sphacelum nigrescebant. Ob sphacelum sine dubio factum, quod heri externa frigidus intensissimâ siti affligebatur.

OBSER-

OBSERVATIO LXXV.

Dolor iſchiadicus gravis ſanatus.

SIgnifer Suecicus Argentorato oriundus 22. ann. temperamenti ſanguineo-cholerici, cum in Pomerania A. 1712. victu ſcorbutico, graviſſimoque & diuturno frigore (ſiquidem in ſylvis per multas ſeptimanas hyeme degere coactus fuerat) ſanguinem multum corrupiſſet, artusque valdè afflixiſſet, initio Auguſti A. 1713. in lipothymiam & dolorem iſchiadicum fortiſſimum incidit; dolebat unà dirum in modum caput, auresque ſtrepebant, quod lipothymiâ deprenſus in caput ab alto deciderat, (profluente poſt caſum ſtatim ſanguine.) Delatus igitur ad Dnn. FF. Miſericordiæ ante omnia ſacculis ex ſpeciebus cephalico-nervinis & diſcutientibus vino incoctis capitis dolori medebatur, & quidem feliciter, ſiquidem poſt fotum hunc ſtatim conticeſcebat. Urgente verò graviſſimo dolore iſchiadico, qui ab iſchio & lumbis ad genua utraque diffundebatur, & qui ægrum ſemper decumbere cogebat, & ob diritatem omnem ſomnum ipſi adimebat, d. 9. Auguſti laxante præmiſſo ſanguis ex vena iſchiadicâ detrahebatur, quâ celebratâ ſumebat (1) mixturam ex eſſent. fuligin. lignor. caſtor. (2) pulv. ex cinnab. ☽, ♄ ♂,

 lap.

lap. ♋. (3) pro topico ℞ camphor. c. ſapon. venet. & croc. d. 21. â litu paulo dolor mitigabatur, in uſu pulverum continuanti hodie loco prioris mixturæ eſſent. alexipharm. Stahl. lignor. caſtor. ſucc. & anod. porrigebatur. D. 14. lumbis impoſitum emplaſtr. ex pice & 🜍 mixtum. D. 16. dolor â lumbis & iſchio abactus, dum verò adhuc circa genua & pedes ſæviret, & noctes inſomnes eſſent, ordinavi (1) mixturam antiſcorbut. Wedel. cum eſſent. lignor. remixtam (2) emulſionem hypnoticam. (3) ſpec. pro infuſo theiformi ex herb. veronic. betonicâ, trifolio fibrino, fl. papav. rh. ſem. fœnic. inde ſomnum inibat, dolorque â genubus in pedes decumbebat, crura quæ hiſce diebus conſtanter frigebant, jam calere ſentiebantur: igitur in uſu dictorum perſiſtens d. 21. optimè jam ambulare poterat, in ſinu gaudens ſe tam cito â morbo cruciatuum pleniſſimo liberatum. Quantopere emplaſtrum de pice & 🜍 iſchiadicos ſoletur, & quem faſtum quibusvis aliis topicis faciat, plus vice ſimplici tum in me ipſo ante quatuor annos ex iſchiade miſere decumbente ad diviní nominis gloriam, tum in aliis expertus ſum. Sanè *Foreſtus* non in vanum ſcripſit *lib. 29. Obſ. 20. ſe præſentius remedium poſt univerſalia prius adhibita non inveniſſe, quam ceratum ex pice & 🜍.* Quin Magnus etiam

We-

Wedelius id alicubi *in amœnitatibus ſuis mater. med.* uſum ejus expertus deprædicavit.

OBSERVATIO LXXVI.

Ulcera & maculæ ſcorbuticæ â decubitu in fimo productæ.

INſtituebat ſocius textoris natione Suevus â febri tertianâ diuturnâ vix liberatus, iter urbem noſtram verſus; quod igitur nocte prægreſsâ, antequam tribus milliaribus confectis urbem noſtram attingeret, â ſocio ſuo veſtibus, tibialibus, calceis & pileo (ſolis braccis exceptis) ſpoliatus eſſet, in ſuburbium vix admittebatur, quod ob metum Viennalis peſtilentiæ hominem litteris commendatiis quamvis inſtructum, nemo ſuſcipere auderet. Hinc durâ neceſſitate compulſus, corpus ferè nudum ſub liberâ & intempeſtâ Octobris finientis aurâ per duos dies & noctes fimo immergens, miſeriis ſuis Dnn. FF. Miſericordiæ permovit, ut miſerum ſuſpicione peſtiferi contagii carentem d. 4. Novemb. A. 1713. ſuſciperent. Receptum ergo his ſymptomatibus laborantem deprehendi; aderant anxietates & dolor circa pectus, artus doloribus vagis vexabantur, in dorſo, natibus, cruribus, brachiis, & manibus ubivis ulcera comparebant, lividis & brunnis fervidis maculis cincta, ☐ erant variæ, modò lixivioſæ & rubicundæ,

modò parum tinctæ & tenues: ordinatum ante omnia d. 6. Novemb. infusum ex laxantibus cum hepatico-splenetico-antiscorbuticis mixtum; cumque corpus sic lustratum esset, dabatur quotidiè manè & post meridiem mixtura antiscorbut. Wedel. c. essent. trifol. fibr. adhibito insuper infuso theiform. ex rad. helen. herb. fumar. trifol. fibr. beton. veron. anis. fœnic. cost. ver. noctu verò pulvis ex bezoard. ♂. succ. ⦶. cinnabar. pulv. lumbricor. Dn. Frat. Cosmas ulcera ▽ ☿li procurabat. D. 8. sudores copiosi fœtentissimi fimum & pejus quid olentes manabant. D. 11. maculæ minus æstuabant, anxietatesque & dolor pectoris levabantur, dolor tamen artuum vagus & spasmodicus continuabat; cum verò hæmorrhoidum copiosius fluxus accederet, d. 13. ulcera sanabantur, maculæ dissipabantur, nec amplius æstuabant, lancinationes crurum cessabant, & sudorum fœtor desinebat. Hinc d. 15. ab omnibus symptomatibus liberatus, alacris abiit in posterum militem acturus.

OBSERVATIO LXXVII.

Cura & anatome hydropici.

JUvenis 21. ann. cholerico-sanguineus, initio studiis vacans, & postea scribam agens, post præcipitem potum frigidum per annuum spatium malè habuit, lassus inde & ca-

cachecticus factus; cum autem 4. septimanis pedes & abdomen intumescerent, ad Dnn. FF. Misericordiæ d. 25. Novemb. A. 1713. deportabatur. Deprehendens igitur in hoc ægro statim sub ingressu in valetudinarium signa funestissima, quæ erant calor p. n. pulsus frequens, sitis, respiratio difficilis, dolor epigastrii, urinaque pauca, opaca & rubra, quibus facies pallida & inflata, retractioque testiculi sinistri in abdomen jungebantur: præmisso prognostico infusum laxans cum speciebus hepatico-tonicis, deinde arcan. ♀, item potu ex ♁ ♂, ebor. f. △. lap. percar. cryſtall. ♀ ac arcan. dupl. ordinabam. Hinc d. 27. breve gaudium sequebatur, tussi, doloreque abdominis cum ejusdem & crurum sensibili admodum detumescentiâ sequente, insuper facilius respirabat, urinaque minus erat tincta; d. tamen 28. sponte secutis dejectionibus cum δυσφορίᾳ tumor abdominis non decrescebat, & præterea femorum tumor indurescebat, hinc cum sensim priora symptomata redirent, utut nonnunquam post diuretica propinata abdominis & pedum tumor ferè penitus abigeretur, emaciatissimus post debilitantem diarrhœam summis torminibus stipatam manu penem prehendens d. 17. Decembr. obiit. In demortuo ubivis tumor discussus, & venæ in cruribus transparentes visebantur, penem manu tenebat. Se-

ctus

ctus vix incisâ cute abdominis ſerum purulentum ex viridi flavum craſſæ conſiſtentiæ emanabat, plurimis magnis fruſtis puris eidem innatantibus, peritonæum erat ſemiputridum, hepar pallidum, quâ parte ad ſiniſtrum latus vergebat adnatum, ſcirrhoſis tumoribus ubique eminentibus, paſſim externè etiam vomicis obſeſſum, infernè in parte internâ livebat, veſiculâ fellis diſciſsâ atra bilis inſtar rob. ſambuci ſpiſſa, & adeo tenax, ut inſtar glutinis diſtraheretur, occurrebat, lien magnus per medium diviſus, denſior, glandulæ in meſenterio paſſim purulentæ, inteſtina hinc & inde ſemicorrupta, renes bini ad miraculum magni (einer Spanne lang und faſt einer Fauſt dicke/) exterius & interius per totum ferè albicantes, in infernâ abdominis parte pus copioſum in fruſtris fœdiſſimum & fœtentiſſimum mergebatur, cor parvum cum ſanguine in dextro cordis ventriculo grumoſo, vaſa coronaria turgidisſima, ſanguine atro plena, longus & denſus polypus in venâ arterioſâ, lobus dexter pulmonis penitus adnatus vomicis & pure ſcatebat, valde cuniculoſus, ſiniſtri vero lobi quod omnes ſtupebant, ne quidem ullum veſtigium deprehendebatur. Cætera non poſſum quin hîc hiſtoriam cujusdam hydropici Felsburgi apud Dnn. FF. Miſericordiæ mortui, ex ore Dn. Fr. Coſmæ recenſeam. Iſte nimi-

nimirum ex ingurgitatione vini recentis craſſi, & eſu copioſo carnis ſuillæ in hydropem incidens, â tumore ad tempus liberatus fuerat, poſtquam ê veſicula in crure ortâ ſerum exſtillans abdomen & artus depleſſet, interim quod acrimonie ſeri corroſivitate ſuâ omnes carnes, vaſa, & nervos in crure eroſerat, & conſumſerat, ſic ut vix pauculum carnis in ſurâ remaneret, æger ob dolores & iterum repullulantem tumorem tamen occubuit.

OBSERVATIO LXXVIII.

Tumor ſcirrhoſus ex palpebra enatus & oculum operiens feliciter exciſus.

A. 1713. d. 17. Julii clinicis apud Dnn. FF. Miſericordiæ decumbentibus adſcribebatur juvenis ruſticus 25. ann. Hic ſalſis acidisque lubentisſimè & frequentisſimè fruitus, cum diu de capitis dolore queſtus eſſet, tandem μετάςασι criticâ is ſolvebatur, poſtquam ante 13. ſeptimanas ê palpebræ ſuperioribus ſiniſtræ parte interiori tumor excreſcere inciperet, qui ſenſim auctus & jam juſti digiti crasſitie, & ſemi digiti longitudine ab uno oculi cantho ad alterum exporrectus totum oculum obtegebat, digito preſſus ſcirrhoſus deprehendebatur, coloris

erat

erat rubicundi & figuræ ſubgloboſæ in conum infra oculum excurrentis, circa naſum quoque & ſuperius labium tumor aliquis duriuſculus occurrebat, palpebræ tumori coævus. Ut igitur corpus ſectioni peragendæ præpararem, infuſum concinnavi ex rad. polypod. herb. fumar. fol. ſenn. rhabarb. fibr. helleb. n. aniſ. fœnic. ⊖ ♀. V. S. celebravi, & ſcarificationes inſtitui, inſuper pilulis cephalicis corpus denuò purgavi, poſtea ordinatis etiam tum pulveribus ex abſorbentibus c. ♁ ♂. 🜍 ♁. puro, cum 🝆 l. ſaſſaf. tum mixturâ, ex ∽ cochlear. eſſent. trifol. fibr. ſucc. lignor. item infuſ. theiform. ex rad. bardan. ſarſæp. valerian. chin. herb. beton. trifol. fibr. veron. ſem. fœnic. & raſur. l. ſaſſaf. His quamvis per aliquot dies æger uteretur, tamen tumor notabatur augeſcere, aliique novi noduli carnoſi in palpebrâ oriebantur; proinde cum non niſi exciſione tumor auferri poſſet, illa d. 26. Julii decernebatur, quæ itaque ſic inſtituebatur: Alligabatur ægri caput, manus, & pedes perticæ, ut immobilis ſic jacere cogeretur; poſtea unguento de lithargyrio loco defenſivi caput linebatur: hinc tumor filo trajiciebatur, ut manu apprehendi & detineri poſſet, poſtea dexterrima Dn. Fr. Coſmæ manu exciſio fiebat, reſiduæque partes cauterio adurebantur, oculus albumine ovi cum ▽ roſar. conquaſſato defendebatur.

Quia

Quia tamen cauterii vis ignea nihilominus ophthalmiam oculo induxerat, ipsi collyrio ex Calc. viv. ▽ rosar. chelidon. major. sacch. ♄ & tut. medicabar, â quo etiam intra paucos dies perfecte discutiebatur. Operatione sic chirurgicâ operculo oculi feliciter ablato, æger postmodum acutè & optimè cernebat. Quia vero sanato oculo febris tertiana superveniebat, commorandum adhuc erat ægro ad d. 18. Aug. quo nosodochio valedicebat. At tumorem labii per vices dolorem punctorium sentientis tollendum, lamina plumbea ad modulum, quem figura G H H ostendit, efformata parabatur; hujus finibus perforatis filum trajiciebatur, quod retro aures colligatum laminam continebat, ne â labio quod ipsi immittebatur decideret. Itaque per multas septimanas constanter diu & interdiu hâc laminâ labium comprimens, tandem feliciter tumorem discuti deprehendit. Ast quia in oculi dextri palpebræ inferioris internâ parte similis tumor latus pediculo innixus excresceret d. 14. April. A. 1714. eadem chirurgiâ pariter felicissimè sublatus est.



Ad figuram II.

A. Excreſcentia carnoſa ex palpebræ ſiniſtræ ſuperioris internâ parte enata.
B. Excreſcentia carnoſa palpebræ dextræ inferioris.
C. Pertica cum tribus foraminibus.

D. E. F.

D.E.F. Tria foramina cum duplici vinculo ad vincienda firmiter caput, manus & pedes.

G. Lamina plumbea pro labio cum vinculis H. H. retro aures alliganda.

OBSERVATIO LXXIX.

Ulcus callosum repullulans salivatione curatum.

NOn ſatis admirari poteſt aquæ metallicæ manus non madefacientis penetrans efficacia. Fundit enim humorum coagula, & lentitiam ſeri attenuat, præ omnibus aliis, mæandrisque glandularum & vaſorum ſe inſinuat, qui reliquis inacceſſi deprehendebantur. Hinc optandum eſſet, ne tantopere medici ſalivationem formidarent, fruſtra enim metuunt, quod ☿ ⊖bus ſcorbuticis arreptis in ♎ti corroſivitatem exacuatur. Siquidem teſte *Stablio in diſſertat. de Salivatione* ☿*li aliis præter luem veneream morbis rebellibus exſtirpandis pari* §. 29. *nec* ♎ ⊖. *niſi concentratiſſimus* ☿ *diſſolvit, nec ipſum* ☍ ⊕ *niſi gradu caloris eximio & propemodum fervido adjuvetur,* ☿ *aggreditur; jam vero qui humores etiam maximè vitiati ad tantam acrimoniam evehi poſſent, ut cauſticam* ☍ ⊕ *indolem æquarent.* Proinde has chimæras non reformidans, in quodam â Cancellis Cæſareis in ulcera calloſo & oſtracoſo, quod alia pharmaca ipſasque exſectiones reſpuebat, ipſam

cum ſummo effectu inſtitui. Caſus eſt ſequens. Æger iſte 34. ann. temperamenti ſanguineo-cholerici, cum quondam caſtra per aliquot annos ſecutus, ſedentariæ vitæ (qualem degunt, qui â cancellis ſunt) deinceps ſe mancipaſſet, circa collum tumorem glandulоſum duriuſculum, poſtea exulceratum incurrit, quo ſanato, ſuper claviculam aliud ulcus magnum, nummi imperialis magnitudine, emerſit; quod igitur â multo tempore plurium chirurgorum conſilia inefficacia expertus eſſet, tandem menſe Septembri A. 1713. Dn. Fr. Coſmæ therapiæ, me conſcio, ſe ſubmittebat. Hic ulcus partim inſperſione croci metallor. partim cultello (quo egregiè calloſitates & ſteatomatoſas excreſcentias excindebat) aggreſſus, in vanum tamen per aliquot dies laborabat, dum ceu hydra Lernæa reſectum quod erat, brevi iterum repullularet. Hinc duro nodo durum cuneum applicaturus ſalivationem proponebam homini, ſi ulcus excipias, reliqua ſaniſſimo: annuebat is pronè. Proinde cum corpus purgante & decocto lignorum præparaſſem, ſalivationem cum ☿ d. ita inſtituebam, ut per gradus ſcandens, interdum etiam vacans, ☿ d. extract. fumar. excepti fere ℥ß inſumerem, non omiſſo decocto lignorum ſecundario, ut moris eſt, pro potu ordinario. His efficiebatur, ut ſalivatione vix per triduum cœptâ ulceris emen-

emendatio ſtatim ſentiretur, quâ indies promotâ, in viciniâ tamen ulceris tubercula glandulosa ſe extollebant, exoriebanturque item alia circa collum & faciem, procedente ſalivatione nihilominus disjecta. Quia igitur ulcus ſub finem ſalivationis per quatuor fere ſeptimanas durantis, optimè conſolidatum cernebatur, & omnia tubercula auxilio ſimul emplaſtri ☿lis disjecta eſſent, (niſi quod unum pertinaciâ ſuâ ſub maxillâ conſiſteret) ſanum ægrum, inſtitutâ prius purgatione, d. 4. Novembris poteram dimittere. Cæterum miratus ſum ſalivationem alioqui dentibus, gingivis & faucibus moleſtias non leves affricantem, iisdem ne minimam quidem noxam aut moleſtiam attuliſſe, ſudabat inſuper egregiè & diureſis larga procedebat.

OBSERVATIO LXXX.

Ophthalmia pertinax cæcitatem minitans evicta.

JUvenis 19. annor. coctura cereviſiæ vacans, plethoricus & carnoſus, faciei rubræ, â pueris defluxionibus oculorum frequentibus laborans, & ſemel brevem ophthalmiam paſſus, cum antè ſeptem ſeptimanas eodem morbo corriperetur, V. S. tunc purgans, & veſicatorium adhibuit, aſt inconſtanti cum effectu, ſiquidem paulò poſt iterum uterque ocu-

lus ophthalmiam patiebatur, cum cephalalgiâ, effluxu lacrymarum, & fugâ lucis. Quia igitur valde carnosus esset, cum pulsu magno & pleno d. 9. Decemb. A. 1713. (quo anno & sequente etiam ob pluvias creberrimas & ventos multos ophthalmiæ epidemicæ grassabantur) iterum V. S. in pede apud Dnn. FF. Misericordiæ præcipiebam, readhibito quoq; vesicatorio, præter interne datam (1) mixturam ex ess. lignor. succ. l. al. ☍ sassaf. (2) pulv. cachect. cinnab. Wedel. c. ☍ sassaf. His adhibitis d. 13. oculum unum jam aperire poterat, & cephalalgia carebat; pilulis cephalicis hodie corpus lustrabam, instillatum deinceps collyrium ex ▽ rosar. chelid. maj. sacch. ♄. & tut. D. 16. vesicatorium multum ichoris proliciebat; quia vero jam sub introitu valetudinarii unus oculus macula (ein Blümchen) laboraret, instillabatur (1) ▽ rosar. c. ⊕ cypr. quod collyrium ê vestigio aliud ex ▽ rosar. cum sacch. ♄ excipiebat; his efficiebatur, ut illacrymantes oculi siccarentur; interim dum sequentibus diebus prius collyrium c. ⊕ cypr. paratum nimis urere sentiret d. 20. aliud ex ▽ rosar. chelid. maj. c. croc. metall. edulc. & sacch. ♄ substituebam, non neglecto etiam usu mixturæ ex essent. lignor. succ. castor. & pulv. ex bezoard. ♂, cinnab. lap. ♋ & succ. Quamvis igitur collyrii nuperrimi applicatione (quo melius se juvatum, quam

â prio-

â prioribus ſentiebat) & reliquorum dictorum uſu d. 23. dolor, rubor, & lacryma ceſſarent, (licet lucem nondum oculi ferrent) imò d. 27. utroque oculo optimè cerneret, tamen ingruentibus d. 29. multis pluviis, aëreque ventis turbato ῥευματισμὸς iterum in oculum ſiniſtrum irruebat, cum hemicraniâ ſimul ejusdem lateris. Proinde denuò veſicatorium prope aurem ſiniſtram applicabatur, quo, (præter adhibitam (1) mixturam ex eſſent. ſucc.lignor. l. al. (2) ſpecific.cephal. (3) collyrium ex ▽ chelid. maj. roſar. c. croc. metall. edulc.ſacch. ♄ & gr. j. camphor.)obtinebatur, ut d. 1. Jan. ophthalmia iterum fermè penitus fugaretur, quamvis oculo ſiniſtro valde parum cerneret: cui proinde pingued. viperin. medicari conabar, â quâ tamen oculo inſtillatâ is magis dolere incipiebat, interim ſimul mox cum levamine capitis multum muci ê faucibus delabebatur, quem pituitæ defluxum ut juvarem, ægrum maſtich. cubeb. & fœnic. maſticare jubebam; inde (adhibitis præſertim etiam internè aliis prædictis) ſiniſter oculus ita emendabatur, ut eodem benè cerneret. D. 8. dextrum hactenus ſanum oculum ophthalmia iterum cum hemicraniâ dextri lateris affligebat. Pertinaci proinde affectui debellando, pilulis cephalicis denuò præmiſſis, fonticulus in brachio dextro exſculpebatur; lymphæ quoque alterandæ de-

coctum lignor. c. fœnic. ordinabatur, cui ultimis diebus fol. senn. simul adjiciebam: ast quod parum sic proficerem, d. 17. Jan. ad setaceum, manu Dn. Fr. Cosmæ auxiliante, deveniebam, quo glutinosa materia instar terebinthinæ proliciebatur, qualem etiam fonticulus præbebat; effectus hinc erat quidem exoptatus, interim quod oculi nihilominus adhuc subinde laborarent, ☿ dulcem prioribus pulveribus adjeci, infusumque theiformo ex rad. valerian. helen. pimpin. herb. nepeth. hyssop. beton. trifol. fibr. sem. fœnic. præter pulverem cachect. Wedel. sassafrat. ad tempus propinavi, & d. 14. tertiâ vice pilulis cephalicis corpus purgavi; his & setacei, fonticuliq; continuato usu id obtinebatur, ut d. 14. Febr. materia â setaceo & fonticulo manans ê glutinosâ tenuior redderetur, adeoque æger post iterata collyria, venæsectionemque, & purgans porrò repetitum, (ne roborantium aliorum denuò mentionem faciam) d. 8. Martii oculis sanis redditis valetudinario quidem valedicere posset, non tamen, quod metuebat, opificio suo valedicere cogeretur. Sub abitum sedulò suasi usum solennem scarificationum & V. S. ante æquinoctia, purgantia itidem circa eadem & frequentia pediluvia.

OBSER-

Observatio LXXXI.

Fistula thoracis & ulcus in cavitatem illius penetrans sanatum.

SIstebatur curandus Dnn. FF. Misericordiæ d. 14. Jun. A. 1713. capillamentorum fabri socius, 26. annor. temperamenti cholerico-sanguinei. Hic postquam ante 14. septimanas ebrius inter pocula post rixam ortam in adversarium involasset, ab illo prostratus, ita pugnis & calce innitentis unà pectori suo genubus adversarii exceptus fuerat, ut gravis contusio & fractura costæ in dextrâ pectoris parte emergeret, quâ neglectâ, vel parum peritè tractatâ, (siquidem demum post aliquot dies effluxos V. S. celebraverat) fistula successit, quæ deinceps studio chirurgi cujusdam nostræ urbis commissa in vanum per aliquot septimanas medicata fuerat. Cum igitur status ægri insanabilis videretur, d. 14. Jun. mecum Dn. Fr. Cosmas consulebatur. Et sanè utrique obstupuimus cernentes ægri non solùm pectoris musculos fistulis exesos, sed & pectus pollicis fermè crassitie in cavitatem usque thoracis perforatum, ad quod foramen pulmo lychnum admotum efflans sub inspiratione approprinquabat, & per quod sanies cruento-purulenta ê cavitate thoracis emanabat. Quamvis itaque nulla curationis spes

arrideret, præſertim dum æger pulſum frequentem, & calorem hecticum dyſpnœamq; cum tusſi, (qua modo cruento-purulenta, modo viſcida emoliebantur) ſiſteret, interim quia adhuc juvenis erat ſub divinæ gratiæ adjumento credentes ſatius eſſe aliquot auxilium experiri, quàm nullum, curationem tentavimus. Proinde ordinabatur (1) elix. pect. propriet. ſ. + eſſent. ttavmat. Wedel. c. balſ. 🜍 aniſ. & balſ. peruv. (2) pulvis ex lap. ♋. ♄ d. cinnab. c. balſamo-ſacch peruvian. (3) infuſum theif. ex rad. plantag. helen. glycirrh. herb. tusſilag. ſcabioſ. heder. terr. veron. fl. hyper. fœnic. aniſ. (4) injectio pro cavitate thoracis ex decocto veron. ſcord. mel. roſar. & balſ. peruv. in vitello ovi ſolut. (5) injectio in fiſtulas ex decoct. ſabin. veron. ſcord. aloë, myrrh. & 🜄 Calc. viv. His adhibitis d. 17. cum ex foramine pectoris copioſa ſanies efflueret, & una fiſtula alteri communicaret, d. 18. ſectio cum ſyringotomo inſtituta fuit, aliaque d. 20 iterata eſt. D. 25. denuò alia fiſtula diſcindebatur. D. 26. tusſiebat minus, & liberius reſpirabat. D. 28. pro potu ordinario potio parabatur ex paſſul. minor. ℔ß. raſur. C. C. ℥ij. ſantal. rub. ℥j. herb. veron. tusſilag. heder. terr. ã mj. coquæ in ℔xij. ad vj. in fine addatur Calc. viv. ℔ß. inde filtretur, d. 1. Julii intus & extus balſ. Locatell. adhibebatur, tuſſis decreſcebat, cum faciliori

reſpi-

respiratione, additâ decocto radice symphyti, porrigebantur pulveres, ex pulv. pect. balſ. c. ſperm. cet. lap. ♋. cumque d. 10. ſanguinem ſpueret, dabatur (1) pulv. ex lap. ♋. corall. conch. ☽. cinnab. (2) decoct. ex rad. plantag. glycirrh. millefol. tusſilag. & paſſul. (3) eſſent. travmat. & ſcord. D. 12. ſputum ſanguinis ceſſabat. aſt quia ſudor nocturnus ſequeretur, omiſsâ cinnabari, pulv. priori ſpec. de hyac. addidi: fiſtulis turundæ ex lino carpto, ∽ matricali tinctæ immittebantur. Hâc ratione itaque in uſu dictorum internorum, & externorum pergendo, (quamvis ſubinde mixturæ internæ modò ∽ ⊖ ✳ aniſ. cum balſ. 🜍 aniſ. adderetur, modò demeretur) ſatis commodè degebat, ita ut d. 26. ex pectore nullus amplius nec flatus, nec pus exiret, ægerq; citra tuſſim facile reſpiraret, & quamvis per vices tusſis reſpiratioq; difficilis, item ſudores nimii redirent, & pus poſtliminio aliquando, nempe d. 29. ê thorace prodiret, tamen in uſu dictorum continuando id divinâ gratiâ efficiebatur, ut d. 16. Auguſt. foramen thoracis tuto pulvere ex ſarcocoll. olibani, & hæmatite claudi poſſet. Quia verò fiſtulis quibusdam balſamo vulnerario ſolidatis, aliæ duæ per curvaturam ſibi invicem communicabant, ob metum ægri, qui jam toties ſectionem ſuſtinuerat, conabamur unguento ægyptiaco ad ſoliditatem cocto & croco metallorum

rum

rum adſperſo, ac utrique harum fiſtularum orificio alte immiſſo callum abſumere; & ſane procedebat opus, quo usque unguentum liquefactum pertingere poterat; aſt quia in fundum ſeptica vis non penetrabat, adeoque adhuc calloſitas remanebat, ultima fiſtula d. 19. Aug. ſyringotomo diſciſſa eſt, callusq; ita ablatus, ut deinceps poſtquam turundis ſarcomatricali & tandem balſamo vulnerario imbutis fiſtulæ impletæ eſſent, conſolidatio ſenſim promoveretur (non omisſis linteis compreſſis ſinui applicatis) quæ plenè d. 16. Oct. contigit. Et ſic æger fiſtulis, & foramine thoracis ritè clauſis, tusſiq; & dyſpnœâ carens vegetus & hilaris d. 18. Oct. noſocomium reliquit.



Ad figuram III.

a. Foramen in pectoris cavitatem penetrans.

B. Fiſtula ab a ad claviculam usque pertingens.

C. Coſta fracta.

D. Fiſtula ad axillam dextram tendens.

E. Sinus ſanie purulenta repletus.

F. Fiſtula quæ ſyringotomo inciſa usq; ad a.

G. Duplex fiſtula ſyringotomo inciſa usq; ad a.

G. Alia fiſtula ſyringotomo inciſa usque ad F.

H. Fiſtula ſyringotomo inciſa usque ad F.

OBSERVATIO LXXXII.

Palpitatio cordis magna.

IMplorabat auxilium Dnn. FF. Miſericordiæ d. 1. Januar. A. 1714. Juvenis 18. ann. faciei rubræ & quondam creberrima hæmorrhagia narium affectus. Hic ê Sileſiâ oriundus, poſtquam patrem ſuum ê ruſtico militem factum in Italiam ſecutus, victuque militari, imprimis verò frequenter olere acido ſuſtentatus fuiſſet, ne plura duram militiam ſtipantia incommoda allegemus, ante ½ annum in tam fortem perpetuamque palpitationem cordis incidit, ut cor per intervalla (quod quotidie ſæpius contingebat) fortius quaſ-

quaſſatum manum aliorum firmè appoſitam repercuteret. Jungebatur huic affectui, quando exacerbabatur, anxietas magna, phlogoſis vaga, lancinationesque brachii, & quiddam ſpaſmodici circa caput, aderant quoque murmura abdominis. Si validius paulo cor vibraretur, neceſſum ipſi erat, ſive ſtanti, ſive decumbenti, baculo pectori appoſito illud ipſum fulcire, quo ſubſidio quoque egebat, dum cibum caperet, alias enim os ſaliva replebatur, lancinatioque brachiorum & palpitatio cordis magis invaleſcebat, quæ omnia hac ratione mitigabantur, repulſo quamvis ſæpe â quaſſato corde appoſito baculo. Ut igitur cruditates emolirentur, ante omnia dabatur potio laxativa, ex ▽ laxativ. Vienn. c. ſpec. dia ♀. Mynſ. &c. poſtea venæſectio inſtituebatur in brachio. D. 3. ſtatus idem, ordinabam hinc (1) ℞. ♂. temperat. Wedel. (2) pulv. abſorbent. ejusdem. (3) potionem ex ▽ meliſ. rub. id. fl. naph. cinn. c.v. ſir. rub. id. (4) ſacculum ex meliſſ. ſerpill. fl. roſ. raſ. ſand. fl. irroratum ▽ meliſſ. ∽ſa & apoplect. d. 5. nulla adhuc mutatio: ℞. ♂. temperatæ ⊖ volat. ☍ſ. c. ℞. ♀ mixtum ſurrogabatur, cum reliquis continuari juſſum. D. 8. jam ſolùm noctu cor palpitabat, non amplius interdiu. Flatibus & murmuribus eſſentia carminat. Wed. ⊖ volat. ☍ſo. maritata opponebatur, pulveres amplius commendati. D. 10. jam

pax,

pax, noctu quoque mitior palpitatio notabatur: ob nauſeam nondum deſinentem, datus hodie & in ſequentes dies, pulvis cachect. cinnabar. & ſtomachal. Wed. ã. c. ☍ mac. manè, â meridiè ℞ ⊕ ♂, noctu mixtura præcedens. D. 13. (ut ſoleo noſodochium hebdomatim bis alternis diebus, ſemel poſt duos dies inviſere) ægrum accedens, audio heri copiosè nares cruentaſſe, remittente hinc ſtatim rubore faciei nimio, jamque vix amplius cor noctu palpitabat; inſuper etiam nauſea & dolores ceſſabant. Cum igitur per duos dies immunis ab affectu moleſtiſſimo degeret, dimittebatur d. 16. acceptis pro viatico pulveribus aliquot ex ſpecif. cephal. Michaël. c. ſtomachico-carminat. & mixturâ ex eſſent. carminat. c. ⊖ volat. ☍ ſ. remixtâ, juſſus quotannis ante æquinoctia V. S. & laxationem inſtituere.

Observatio LXXXIII.

Hemicrania pertinax ſetaceo evicta.

EQuiſo Sereniſſimi cujusdam Principis, acidorum, ſalſorum, 🜔, fumitabaci, immoderato & diuturno abuſui, inter aëris quotidianas injurias deditiſſimus, ſanguineum laticem ita corruperat, ut tandem hemicraniam graviſſimam lateris dextri, unâ cum oph-

ophthalmiâ ad ſuppurationem tendente cum oculi deſtructione reportaret: ab hac cùm per tres ſeptimanas nocte dieque inceſſanter excruciatus eſſet, penes Dnn. FF. Miſericordiæ auxilium d. 24. Martii A. 1714. quærebat. Animadvertens ergo alvum ſub hoc gravi dolore ſemper eſſe ſtypticam, ut nunquam ferè ſponte ſe ſolveret, clyſmatibus, infuſis laxativis, tandem etiam pilulis cephalicis, plus vice ſimplici illam ſtimulavi, & ê maſſa ſanguineâ eque capite viſcido-acrem lympham eduxi, quodque â pilulis imprimis ſubinde aliquod levamen ſentiretur, eas ultra quatuor vices in uſum adſcivi; utque revulſioni ſanguinis amplius proſpicerem, ſtatim initio V. S. in pede, item crebra pediluvia (præſertim dum ſæpe pedes & crura algebant) inſtitui, non omisſis etiam abſorbentibus, diaphoreticis, reſolventibus, diluentibus, emulſivis, paregoricis, & quæ non aliis, tam internè, quam externè applicatis. Cumque his parum imo nihil proficeretur, (è quibus tamen pediluvia, & pro capitis fotu decoctum nigrum Chir. ſenſibile aliquod juvamen afferebant) maturè ad veſicatorium deſcendi, quo impoſito, & pilulis cephalicis cum clyſmate ſedulo adhibitis, id efficiebatur, ut jam per intervalla ſolùm, & levius dolor accederet, inprimis poſtquam d. 2. April. multum ſeri ê naribus effluerect; utilem

quo-

quoque effectum circa illud tempus sortiebatur, â fotu c. Vino, ex rad. pœon. irid. flor. rosmar. serpill. fl. sambuc. papav. rhead. chamom. & lavend. c. ras. l. sassaf. inde enim d. 14. dolor fermè ex toto cessabat, fluente tum per nares copiosâ salsâ serosâ materiâ. Ast cum deinceps tortura dolorum solùm inducias ægro concederet, (quas continuans per aliquot dies fluxus salsæ serosæ materiæ, quæ d. 11. April. pruritu capitis excipiebatur, effecerat) post denuò hisce diebus in usum tractos clysteres, pilulas, fotum, & pediluvia, tandem d. 16. (quo die iterum valde quiritabatur,) ad setaceum deveni, & quidem eo cum successu, ut dolor inde penitus cessaret: ulcere igitur per plusculos dies tractu aperto servato, æger d. 21. perfectè & constanter restitutus lætus abibat.

Observatio LXXXIV.

Febris maligna comatosa feliciter curata.

ADrepebat verius, quam ingrediebatur, præ languore vix stare valens, interim benevolâ commiseratione Dnn. FF. Misericordiæ susceptus socius pileorum fabri 18. ann. d. 5. Januar. A. 1714. Hic quamvis in sextum diem continuè p. n. calebat, Suidnicio tamen, sub nebuloso, ventoso & humido aëris statu, huc concesserat: sitiebat valde, tremebant manus, pavebatque, & quod pessi-

 mum,

mum, quicquid moliretur, somnolentiam non poterat â se depellere: hoc igitur ægri statu, protinus excitationi naturæ oppressæ & torpidæ vesicatoriis ad nucham, carpos, & femora appositis invigilabam, internè ordinatis, & commodo tempore administrandis (1) mixtur. ex ess. alexiph. Stahl. & mixt. simpl. (2) pulv. ex ♁ d. lap. ♋. C.C. ⊕. c. cinnabar. & camph. (3) denique decocto scorzon. c. C.C. cit. c. sir. rub. id. D. 8. ægrum invisens, deprehendi adhuc soporosum cum linguâ fuscâ, siccitate cutis, ▢que involuntariâ excretione; pergebatur in dictorum medicamentorum usu, nisi quod gargarisma c. ⊕ adderetur, & pulv. bez. major. Wed. c. ⊕ & camph. priori pulveri substitueretur. D. 10. non amplius ita soporosus visebatur, vesicatoriis benè effluxum seri maligni promoventibus, unde ad plures adhuc dies imponebantur; lingua emendata, mador aderat cutis, tussiebat & facilius respirabat, ▢ heri missa crassam per totum liquorem suspensionem exhibebat, in priorum usu sic continuabatur, nisi quod etiam scord. card. b. veron. & scabios. pro infuso theiform. adjungerem. D. 13. sopore nondum penitus cessante, guttulis ex mixt. simpl. c. liqu. C.C. maritatâ, & pulvere ex lap. ♋. ♁ d. c. cinnab. ⊕. morbo obvius ibam, reliquis, & inter hæc vesicatoriis, non neglectis: in ▢ iterum signa coctionis visebantur. D. 15. εὐφορία maxima, alacris erat, sopor

ſopor abactus, pulſus tardus, madebat, ⊡ turbabatur. Horum ergo remediorum uſui inſiſtens, interjectis aliquot diebus elix. balſamic. Hoffm. ſtomachali Wedel. mixto viribus ventriculi & ſpirituum proſpiciebam. D. 24. cum in brachiis prope veſicatoria tubercula ulceroſa orirentur, ea mixt. ſimpl. c. eſſent. lignor. maritatâ, & pulvere ex ♄ ♂ c. cinnabar. lap. ♋. & ſpin. viper. conſtante ac per triduum repetito diſcusſi; cumque vires jam uſum laxantis permitterent, Sydenhamii potione leniter corpus expiavi, & ita, cruribus priùs dolentibus & quaſi contractis linimento nervino Wedel. roboratis, ægrum ſanum & vegetum dimiſi.

OBSERVATIO LXXXV.

Inſignis veſicatoriorum in febri malignâ virtus.

QUantum momentum veſicatoria ad therapiam febrium malignarum conferant, ex hac obſervatione iterum clarum reddetur. Famulus A. R. Dn. P. Vicarii chirurgo ſimul, & Pharmacopœo noſodochii miniſtrare ſolitus, 16. ann. temperamenti ſanguineo-cholerici, faciei prærubræ, hypochondriacus, præmaturè ſatis ante duos annos hæmorrhoidalem teneſmum & fluxum, inſuper non rarò hæmorrhagiam narium, ſtuporem auricularum, torpores artuum cum ſenſu frigoris, febrimque tertianam plus vice ſimplici ex-

pertus, cum rerum ſuarum ſatagens, ſocio aurifabri (qui febri malignâ in itinere ſub ventoſo frigidoque aëris ſtatu inito ante plures dies correptus, inque noſodochium Dnn. FF. Miſericordiæ ſuſceptus fuerat, & cui magna virium proſtratio, animus dejectus, & alia prava ſigna ſtatim mortem portendebant) lethaliter decumbenti ſedulò veſicatoria applicando (ſub quibus exulcerata caro nigreſcebat) lectumque ſternendo miniſtraret, eo heri demortuo d. 19. Jan. A. 1714. poſt punctiones vagas artuum, inappetens, ſitiens, & languens, cum vertigine ſubinde horripilabat; cum ergo ſuſceptum contagium formidarem, ſtatim alexipharmaca ordinavi, nihilominus d. 20. cephalalgiâ veſperi increſcente, Dnn. FF. (quia antea poſt V. S. levatum ſenſerant) me abſente V. S. inſtituerunt, cruore ex venâ floridisſimo, non tamen ſine ἔκλυσι, extracto, quod factum d. 21. noſodochium ingreſſus ægrè ferens ægrum offendebam hodie minus caput dolentem, qui tamen circa pectus, maximè verò in artubus punctiones vagas ſentiebat; pulſus cæteroqui erat fortis & æqualis, ſitis modica, alvus aperta. Hinc præſcripſi (1) eſſent. alexiph. Stahl. c. eſſent. ſcord. (2) pulv. ex lap. ♋. mandib. luc. ♁ d. ♁. ſigill. nitr. cinnab. (3) decoctum ſcorz. C.C. citr. ſir. rub. id. acet. cit. (4) emulſion. extern. c. nitr. ♁ pro capite. D. 22. lancinationes vagæ artuum continuabant, mixt. ſimpl. eſſ. alexiph. miſcebatur

& ve-

& veſicatoria ad femora applicabantur. D.23. dolor capitis ceſſabat, melius paulo madebat, niſi quod circa pectus preſſio. D.25.& 26. valdè languebat ut ſe erigere nequiret, continuabant artuum lancinationes vagæ, perrectum in uſu dictorum. D.27. dormivit quidem paulò, aſt animus dejectus, pauca loquebatur, facies inflata, oculi quaſi ebrioſorum, (glåſern noſtrates dicunt) ſtupor in brachiis, ſummè debilis, ut immobilis jacere cogeretur, urina turbida, ſpes in anguſto. Hoc itaq; rerum ſtatu veſicatorium in nuchâ applicare jubeo, non neglectis (1) potione confortante, c. ⊖. volat. ☍ ſ. (2) pulv. ex ſerpentar. Virgin. ♁ d. lap. ♋. ⊕ & camph. (3) ℞. bezoard. Wed. eſſent. alexipharm. Stahl. & liqu. C.C. ſucc. D. 28. copioſa narium hæmorrhagia ſecuta, quam Dnn. FF. ℞. violar. moderari conati fuerant, â quâ tamen valde levatum ſe ſenſit. D. 29. medicamentis dictis continuatum, niſi quod liqu. C.C. ſucc. demeretur. D.30. tolerabilis ſtatus, pulſus & reſpiratio melior, ⊡ turbida. D.3. Febr. accedente obauditione pulveri cinnab. adjiciebatur; inde ſequentibus diebus magis magisque convaleſcens, d.10. extra lectum jam degere poterat, ſic ut non ſolum d.14. ▽. laxativ. Vienn. c. ſir. roſar. ſol. ferret, ſed etiam d.24. ob faciem ſubtumidam pulvere laxativo vegetab. *κάθαρσις* tentari poſſet: dato dein elix. balſam. Hoffm. eſſent. centaur. min. abſinth. & ad ſopiendam d. 3.

Mart. diarrhœam vires appetitumq; dejicientem. elix. ſtomach. c. eſſent. theriac. inde plenè convaluit, vires tamen priores non ante ſeptem ſeptimanas colligens. Manifeſtum eſt ex dictis (quod etiam Dnn. FF. in obſervandis aliàs morborum phænomenis & eventis cati expertique obſervatores unanimiter confirmabant) ægrum mortem probabiliſſimè non evaſurum fuiſſe, niſi d. 27. Jan. veſicatorio in nuchâ poſito torpor naturæ amplius excitatus fuiſſet. Notabile erat inſuper, nunquam ſudorem, ſed lenem ſolùm & quidem rarum madorem eſſe deprehenſum: forte quod ſanguis extractus & per nares quoq; effluens ex mente Celeb. Stahlii parum diaphoreſi & ſudationi comodus eſt; interim quia poſtea pariter eodem morbo ægrum graviter decumbentem poſt V. S. & hæmorrhagiam nihilominus copioſis ſudoribus madentem cernerem, dubius hæreo, an ſanguinis eductiones excretionibus periphericis adeo manifeſte officere debeant. Cæterum tam huic, quam aliis ægris ſimul petechiis laborantibus, quia circumſtantiæ ſuadebant, feliciter quoque veſicatoria applicavi.

Observatio LXXXVI.

Anatome carie oſſis femoris demortui.

SErvus ruſtici 32. ann. temperamenti melancholico-cholerici, cum ante annum femori

mori eryſipelate obſeſſo pinguia illineret, ulcus produxit rebelle & contumax, quamvis chirurgorum diligentiam deludens. Noſodochio igitur Dnn. FF. Miſericordiæ d. 16. April. A. 1714. illatus, cum DN. Fr. Coſmas ex ulcere dilatato oſſicula tredecim veluti ê burſâ quâdam extraheret, cum levamine aliquo doloris exquiſitiſſimi, mihi ſuſpicio naſcebatur, protruſiſſe fortasſis naturam osſicula femoris carioſa ſeparata in quandam aliquam efformatam cavitatem. Utut igitur nullis nec pharmaceuticis, nec chirurgicis auxiliis parceretur, tamen poſt gravisſimas torturas dolorum, (quibus ſemel vel bis epilepſia jungebatur) æſtum p. n. tormina inſignia ventris, vomitum, & inprimis pertinacem diarrhœam, facie flaveſcens, pedesque tumens, exhauſtis tot tormentis d. 3. Junii moriebatur. Cadaver, cujus crura, femora, & hypochondrium dextrum undique latis lividis maculis poſt mortem diſtinguebatur, ſectum, viſcera ſiſtebat â p. n. conſtitutione penitus fermè libera, niſi quod veſicula fellea ovi anſerini fermè magnitudinem adæquaret, & bile ad crepaturam quaſi turgentiſſima conſpiceretur, quæ diapedeſi pancreas tinxerat. Scrutatum vero ulcus femoris fiſtuloſum, os femoris offerebat, duplici loco ad tres digitos transverſos eroſum, cujus medium intervallum ab eroſione liberum cernebatur. Aſt exemtum mirandum ſpectaculum præbebat, ſiquidem ſollicita natura ita

undique cavitatem erosi ossis solidâ carne repleverat, quasi arte quadam latera ossis carne obducta fuissent, es waren die ausgefreßne Theile des Hüfften-Beines von unten biß oben mit Fleisch recht ausgefüttert.

OBSERVATIO LXXXVII.

Anatome febri inflammatoriâ extincti.

INferebatur nosodochio Dnn.FF.Misericordiæ d.4.Apr. A.1714. juvenis Illustrissimæ cuidam Comitissæ â servitiis nobilioribus, 17. ann. faciei rubræ & temperamenti sanguineo-melancholici. Hic ante octo annos â jactu in hypochondrium sinistrum mense Aprili facto, dolorem ibi magnum senserat, qui per vices mussitans, tamen quolibet anno recurrente annuo periodo exacerbabatur, donec ante 14.dies iterum fortiter recrudescens, insuper â septem diebus febrim cum horripilatione & æstu alternante adscisceret. Quod igitur pulsum debilem offenderem & ☐ crassa albicans cum dysuriâ proflueret, statim conjeci abscessum subesse in abdomine, febrimque lethalem futuram; idque inprimis eò facilius conjectabar, quod dolorum faces tantæ essent, ut continuo cum magnâ virium debilitate ejulari cogeretur. Conjecturâ meâ proinde non fallente, ægroque post copiosum materiæ nigræ vomitum d. 7. April. moriente, ex voluntate Illustrissimæ

ſimæ Comitiſſæ in præſentiâ D. D. Eggerdes fautoris mei honorandi & D. D. Kölchen/ cadaver aperiebatur: hoc ipſum abdominis externas venas liventes exhibens dum ſecaretur pulmones ſanguine atro referti, cum hytatidibus aliquot occurrebant, inteſtina omnia nigra viſebantur, lien magnus cum inciſuris itidem lividus, omentum brunnum fermè conſumtum, hepar brunnum, cum tuberculis nodoſis, renibus verò indagatis, ii horrendam mephitim ſpirantes per totum ulceribus fiſtuloſis griſeum pus fundentibus ſcatebant.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Anatome hydropici poſt quartanam facti.

SAbaudus 22. ann. muſcipularum inſtitor, poſt vitam miſerè toleratam, in quartanam cum dolore abdominis, & tumore pedum incidit, facie & toto corpore æthiopem referens. A Dnn. FF. Miſericordiæ ſuſceptus quanquam exitum funeſtum ſtatim præſagirem, therapiam tamen miſeri aggreſſus ſum, libentius & felicius id facturus, ſi ob dialectum ejus corruptam (quam Itali elegantiores ipſi non ſatis capiebant) eundem plenius intelligere potuiſſem. Interim tantum ex ore ægri, ejusque geſtibus capiebam, ſe febri jam irregulari laborare, cui dolor in abdomine, inprimis circa regionem hepatis, amarities oris, lancinationesq́; genu junguntur. Ordinatis igitur variis vomitoriis, aſari-

nis, laxantibus, aperientibus, pituitamq́, & acidum corrigentibus, id effeci â d. 13. Jan. 1714. ut post fœtidissimam saburram expurgatam aliqua melioratio se ostentaret, fugato cum febri colore illo totius atrescente. Interim dum voracitas inexplebilis (cui frustra ☍ ♀ p.d. obviam ibam) cum debilitate virium tantâ, ut lectum deserere non posset, non desineret, iterum febrim irregularem, dolorem hypochondrii dextri, genuum, pedumque dolorem incurrit, quibus postea & femorum, pectorisque cum tussi, & oculorum dolor accessit. Cum verò sensim vires & habitus corporis per copiosos sudores, vomitus diarrhœam fœtentissimam, hæmorrhagiamq́; narium exhauriretur, (quibus omnibus præsentibus appetitus tamen esurinus nihilominus persistebat) facies & pedes denuò tumefieri cœperunt, quo tumore unà cum magnis abdominis doloribus, imprimis circa hypochondrium dextrum, increscente, vomitibusq́; fœtidissimis denuò ortis, ægroque iterum æthiopem refer[illegible] incipiente, post appetitum prostratum præviis horrendis contorsionibus & tandem epilepsia d. 30. April. exspiravit. Sectus dum thorax aperiretur, en mirandum, non solum ichor aquosus, sed & intestina instar cretæ fermè albida & flatibus turgentia erumpebant, quod diaphragma alte sursum ad nudum thoracem angustum fecerat, pulmones etiam penitus ex omni parte adnati cernebantur, cum hytatidibus & tuberculis scirrhosis, aderant quoq́; in interiori substan-

ſtantiâ aliquæ parvæ vomicæ, cor benè conſtitutum, (unde pulſus ſemper fortis erat) abdomen maximam copiam ſeri fœtidi continebat, hepar magnum lienem contingens, undiq; lividisſimum, lien valdè magnus penitus ex atro lividus, veſicula fellis bile vitellinâ plena, quæ transſudans pylorum intimè tinxerat, unde perpetua querela de hypochondrii dextri dolore, ventriculus magnus & benè conſtitutus, renes valde parvi, contracti, ſcirrhoſi, in ſiniſtro pelvis ſubſtantia grumoſa & ſolida viſebatur obſtructa, veſica admodum parva.

OBSERVATIO LXXXIX.

Ulcera pedum carioſa feliciter curata.

AFferebat pauper fœmina puerum ſuum d. 9. Maj. A. 1714. Dn. Fr. Coſmæ curandum. Is ann. 9. habitusq; macilenti, diu pædarthrocace laboraverat, ut ob dolorum ſævitiam parentes non ſemel ipſi mortem apprecarentur. Interim quod fama attulerat, aliquot ejusmodi ulceribus chronicis deſperatis laborantes induſtriâ DN. Fr. Coſmæ convaluiſſe, & hæc pauper fœmina fortunam in ſuo filio experiri ſtatuebat. Quamvis igitur ulcus carioſum pollicem pedis dextri occuparet, & alia plura (prout figura oſtendet) pedem ſiniſtrum exederent, tamen DN. Fr. Coſmas non penitus deſperandum ratus, curam aggrediebatur. Proinde cum meo conſilio corpus operationi præparatum, & puer ſequen-

quentibus, nempe (1) pulvere purgante ex pulv. lax. veget. c. ☿ d. (2) mixt. ex eſſ. lign. ♄. (3) pulveribus aliquot ex bez. ♂. conch. lap. ♋. (4) decocto ex rad. ſcrophul. ſarſæp. raſ. CC. in ▽ Calc. viv. facto, tum etiam ♆ ♄. puro aliquoties uſus eſſet, Deo juvante curationem ita aggreſſus eſt, ut ulcera anguſta partim turundis ex rad. gentianæ vel ſpongiâ compreſsâ dilataret, partim incideret, oſſiculaq; carioſa deinceps abraſione, ℴℴ caryoph. applicatione, uſtione, vel denique exemtione corrigeret aut tolleret, cavumq; ulcerum tam injectionibus, quam plumaceolis ⏝ matricali madidis impleret. Quod verò ſuaſu meo ſuccus cochleariæ internè datus præ aliis medicamentis ſcorbuticam hujus ægri maſſæ ſanguineæ labem optimè correxiſſet, effloreſcentibus ab ejus uſu undique maculis flavis, & inſuper *Solingen* carioſa ejusmodi ulcera non alio quam ſucci cochleariæ auxilio felicius conſolidaſſet, DN. Fr. etiam externè hunc ſuccum ulceribus inſtillare ſatagebat; nec carebat hoc tentamen ſucceſſu, nam, quod mirandùm, effloreſcentibus ſimilibus maculis, quales in cute ſe exhibuerant, in ulceribus, horum conſolidatio ita hujus ſucci adminiculo accelerabatur, ut finiente Auguſto plurima ulcera clauderentur, & unum adhuc reſtans, vel alterum, poſt turundas unguento quodam ex melle roſ. tereb. maſt. myrrh. ⏝ matric. & ℴℴ hyp. concinnato illitas ulceribusque immiſſas Sept. ſaneſceret. Ubi notandum, puerum poſt ulcera ſolidata initio

ope

ope baculi ingredientem, Sept. medio jam citra illum ambulare paulo cœpiſſe, carnesque, quæ locum oſſium exemtorum adimplebant, duriuſculas & denſiores evaſiſſe.





Ad figuram IV.

A. Incisio facta in pollice pedis dextri, cum exemtione ossis cariosi â B. usque ad C.

D. Incisio facta in pedis sinistri parte externa.

E. Fistula ab E ad D.

F. Fistula ab F ad D.

F. iterum alia fistula ab F. ad G. per ambitum pedis

G. Fistula usque ad E.

H. Fistula per profundum pedis penetrans â parte interna H. ad partem externam D.

I. Fistula minus profunda.

K. Ulcus digiti pedis penultimi ê quo ossa exemta ab L. usque ad M.



Cavitas ê qua ossicula exemta, quo loco nil remansit præter particulam ossis calcanei.

OBSERVATIO XC.

Ulcus fistulosum thoracis sanatum.

AUriga Illustrissimi cujusdam Comitis 28. ann. olim quartanâ per 1¾ ann. laborans, jam ab aliquot septimanis tumorem durum sub axillâ dextrâ ad pectus exporrectum alebat, quo oriente V. S. instituerat. In nosodochium igitur Dnn. FF. Misericordiæ d. 23. Maji A. 1714. susceptus, initio tentabam tumoris discussionem imposito emplastro diaphoret. Mynſ. ☿ & °°° ♀ fœtid. roborato, interius vero datâ (1) ℞ ♁ acri

acri (2) 🜍 ♁ puri gr. jx. c. lap. perc. pro 3. dosibus (3) infus. theiform. ex rad. aristoloch. ☉. pimp. bardan. herb. trifol. fibr. cerefol. sem. anis. fœnic. Quanquam igitur â 🜍 ♁. non vomeret, sed effusissime sudaret, adeo ut lodices permadescerent, tamen discussio vana erat, unde maturatio promovebatur imposito emplast. diachyl. c. g. cum desuper imposito cataplasmate ex cep. sapon. Venet. & croc. Maturatione sic sufficiente d. 30. ulcus aperiebatur, ê quo cum remissione dolorum copiosum pus effluebat; ne proinde sinus orirentur, post injectum liquorem ex 🜄 Calc. viv. c. absinth. centaur. min. scord. aloë myrrh. mell. rosar. cui ♒ matricalis mixtus, lintea compressa circa fundum ulceris apponebantur: pro usu interno dedi ob tussim præsentem (1) ℞. bezoard. Wed. c. essent. travmat. ejusd. scord. c. bals. 🜍 anis. (2) chaquerill. c. pulv. pect. bals. & lap. ♋. (3) infus. theiform. ex rad. glycirh. aristol. ☉. herb. scabios. veron. tussilag. fl. papav. rh. anis. fœnic. c. butyr. rub. potab. D. 2. Junii Fistula ab axilla ad claviculam ferè pertingebat, unius fere & dimidii digiti longitudine; ob febris vulnerariæ accessum ordinabatur (1) essent. alexiph. Stahl. c. essent. travmat. bals. 🜍 anis. (2) pulv. ex ♁ d. lap. ♋. conch. chaquerill. D. 4. hactenus insomnis benè dormivit, nec horror nec æstus rediit; fistulæ balsamum Locatelli injectum. D. 6. bona spes, pruriebat circa fundum fistulæ exterius cutis, 🜍 ♁ pur. c. lap. percar. alternis diebus dandum ordinabatur. D. 7. incisio-

ne

ne fiſtula paulo dilatata. D.9. incipiebat conſolidari, redibat appetitus, maculis lividis in brachio lateris affecti heri exortis purpura pruriens ſuccedebat, ſine dubio â pure in maſſam ſanguineam reſorpto, & per poros dein expulſo; unâ DN. Fr. Coſmas obſervaverat, quam primùm maculæ & purpura cœperat efflorEſcere, pus antea copioſum ſtatim ê fiſtula ſenſibiliter valde paucum prodiiſſe, hinc cum eadem turundis unguento ex terebinth. mel roſ. maſt. ⁓ matrical. & ℴℴ hyperic. compoſito imbutis porro expleretur, d. 11. fiſtula ferè ſanata comperiebatur, purpura per pectus & abdomen etiam erumpebat; datâ deinceps eſſ. fulig. lignor. ſucc. ſcord. item pulv. ex ♁ ♂. lap. ♋. ſucc. fl. ♆. chaquerill. d. 13. optimè, quamvis purpura adhuc duraret, exiitque poſt tres dies perfectè ſanus.

OBSERVATIO XCI.

Otalgia cum auditus difficultate, potiſſimum ſcarificatione in vertice ſublata.

POſtilio 23. ann. ab injuriis aëris non parum læſus, & ante annum ab equo dejectus, cum d. 26. Febr. A. 1714. in noſocomium Dnn. FF. Miſericordiæ admiſſus, quarto quovis die ſe horrere & calere diceret, cum punctionibus dextræ pleuræ, tuſſi & difficultate auditus auris ſiniſtræ; ordinabatur (1) eſſ. fulig. (2) pulv. ex ♁ d. lap. ♋. chaquerill. cinnab. mandib. luc. c. ⊕ (3) infuſ. theiform. ex rad. helen. glycirrh. herb. heder. terr. veron. tuſſilag. ſcabioſ. fl. papav. rh. &

litu:

litus 🜄 camph.croc. D.28. febri carebat, leviusq; circa pectus degebat; data hodie essent. alexiph. Stahl. succ. l. aloës, interim magnæ punctiones circa thoracis & abdominis latus dextrum quandoq; redibant: unde V.S. in brachio celebrabatur, ê quâ sanguis mucum potiùs quam cruorem referens effluebat. D.3. Martii dabatur (1) ess. alexiph. Stahl. (2) pulv. ex ⊕ arc.dupl.cinnab.lap.♋. ♄ d. præter infusum theif.ex herb.bet.veron.trif.fibr.c. anis. & fœnic. quibus usurpatis, imprimis post V.S. dolorifica thoracis symptomata penitus cessabant, neutiquam vero auditus emendabatur: pro hoc ergo dabam (1) ℞. ♂. helleb. volat. & pulv.cach. W ed.cinnab.sassaf. quibus medicamentis d.7.specif.cephal.c.☍ sassaf.& mixt.ex elix.cephal.ess.succ.l.al.surrogabatur; ast nullo cum effectu, status enim auris potius deterior fiebat. Hinc quia strepitu auris accedente, sanies quoq; ex aure frustaque pituitæ ê naso excernerentur, purgans (quod citius libenter dedissem,) ê mp.de succ.Crat.& cephal.ac post illud pulveres & mixtura diei 7. porrigebantur, præter sacch. canar. c. cubeb. pro errhin. Quamvis igitur decies dejiceret, & cætera benè haberet, tamen status auris idem perdurabat, imo d.10.horripilabat, dolore auris aucto. Otalgiâ proin cum strepitu & difficultate auditus nil quicquam cedente, placuit ægro, (qui patrem suum eadem olim passum sola scarificatione in vertice, & capitiluvio cum melissâ

facto convaluisse affirmabat) consentire, ita tamen, ut prius adhuc sanguis ê pede extraheretur; quâ celebrata & usurpata adhuc essentiâ fulig. (cujus efficaciam in se deprehenderat) d. 17. factâ in vertice scarificatione, ab eo tempore statim strepitu & punctionibus auris caruit, audiebatque d. 19. melius, cumque d. 24. strepitus & tinnitus solum adhuc restaret, dato liquor. C. C. succ. c. ℞. bez. Wed. integrè restitutus d. 26. sanus nosodochium reliquit.

Observatio XCII.

Phthisici pueri anatome.

PUer pauper 9. ann. in orphanotrophio Dnn. PP. Societatis Jesu sustentatus, ulceribus quondam & nupero autumno febri laborans, eâ fortasse usu, vel potius abusu, corticis peruviani maturius sublatâ, vel suppresśâ, tumore pedum œdematoso correptus est, cum atrophiâ, dyspnœâ, & tandem diarrhœâ. Cum igitur hæc symptomata cum debilitate magnâ virium continuarent, statim subsumi poterat, non diu apud Dnn. FF. Misericordiæ ipsum clinicum futurum, ad hos enim d. 11. Maj. A. 1714. delatus, die 15. moriebatur. Sectus thorax lympham extravasatam copiosam offerebat, cor flaccidum, pulmones alicubi tuberculis crudis distincti erant, tum etiam hydatidibus, quales hydatides copiosissimæ in intestinis & mesenterio occurrebant: comperiebatur quoq; conjectura mea in eo non fefellisse; quod

quod glandulas in meſenterio induratas me inventurum credideram: conſpiciebantur enim tam in illo, quam inteſtinis ubivis, quàm copioſiſſimæ glandulæ magnæ & induratæ, quarum quædam ex unâ parte lividæ alterâ candidæ erant, ê diſſectis ſuccus induratus partim ater, partim ſemigypſius exprimebatur hepar & lien ſ.n. conſtituta erant, niſi quod bilis transſudando inteſtinum tinxerat, veſicula bilis magna erat, bile vitellinâ turgens, lien & renes naturaliter conſtituti, veſica craſſa valdè contracta.

Observatio XCIII.

Ulcera crurum antiqua dyſepulotica chirurgia feliciter curata.

ANtiquisſimam & efficaciſſimam illam medicinæ therapevticæ partem, chirurgiam tum ab aliis, tum magno Severino tam fortiter, quam feliciter exercitam (ita ut judicio Marii Schipani hujus ſubſidio unus Severinus ex incurabilibus curabiles morbos effecerit) dum ſæpe penes me mirabar, dolebam tamen ſimul, quod Germanis noſtris â Severino objecta mollities (quâ omnes ferme ægri, & maxima etiam pars medicorum laborat) magnum illud obſtaculum ſit, quo minus vel ex imperitiâ artis, vel meticuloſitate puerili tot monſtra medica (quæ aliàs â generoſis auxiliis chirurgicis debellata fuiſſent) â pharmacis efficaciam ferri & ignis non aſſequentibus do-

mari non possint. Sane fœdum est cernere, quam sæpè medicus & chirurgus trepidet, ulcera non discindere, sed solum dilatare coactus; Ast quis facile videt scalpello sinus & fistulas discindi, aut altis plagis ulcera dysepulota tractari. Quid igitur deinceps miremur, si post tot emplastrationes & delibutiones ac injectiones scalpello parcentes & igne, tot ulcera corrumpimus & insanabilia reddimus. Quo loco mihi non possum temperare, quin cujusdam meorum ægrorum (Generosus is erat quidam Eques) meminiscam: Vexabat illum diu fistula ani, ex quâ in febres pronus erat, & in cachexiam inclinabat; consultus ego meticulosum ægrum mentione factâ incisionis ita deterrebam, ut deinceps cuidam chirurgo suaviori injectionum methodo (qua fistulam expugnare somniabat,) se ipsum sanaturum promittenti vacivas aures præberet. Accidit interim bonâ fortunâ, ut curâ non procedente iter Viennam ingrediendum esset. Ibi nactus expertissimum quendam Medicum vanitate pharmacorum compertâ facile ejus hortatui se subjecit, incisioneque tunc peractâ, non solum â fistulâ, sed & statu cachectico ita vindicatus est, ut jam sanissimus mihi hæc cum gaudio retulerit. Certè optandum esset, ut tandem Severino effic. medic. fol. 77. crederemus, quando scribit: ego mala ulcera curans scalpro non peperci, perpetuumque inde & magnum fructum percepi; ego profectò secutus

tus partim Vidium Florentinum, â Severino fol.76.a.allegatum, qui ulceribus livore vallatis cutem crebris inciſuris circum exaſperat, ut cruor niger & craſſus educatur, & bonus ſuccedat, partim ipſum Severinum, qui ibidem præcipit, ut ne differas providus ulceribus aut cacoëthicis, aut herpeticis, calloſis, aut oſtracoſis, aut circumglabris, aut pruriginoſis, aut intemperatis & tetris & his omnino, quæ cicatricem difficile admittunt, his quippe omnibus admirabile compertum eſt exinanitus auxilium, quod & Ægyptii medici experientiâ docti, factitare feliciter conſuevére, quemadmodum adnotavit Proſper Alp.lib.3.Med.Æg. c.11. id conſecutus ſum quod iſti magni chirurgiæ proceres, ut nempe ulcera antiqua & dyſepulota poſtea facile ſolidarentur. Nimirum cum Eques quidam cæſareus 30. ann. ex refrigeratione inferiorum, (quod circa feſtum St. Martini in paludoſis locis permultos dies laborare coactus eſſet,) faciente etiam multum huc reliquo pravo victu durâq; diætâ militari, in ulcera ſurarum incideret, quæ dura atroq; livore ſtipata hactenus per annum fruſtra medicata fuerant: Id ego perſpiciens ordinato prius (1) purgante & ſpec. dia ♀ Mynſ.c. ☿ d. (2) ℞ ♁.c.Calc.viv. (3) 🜍 ♁. c. ſpin. viper. (4) dec. lign. ulcera poſtea κατὰ συρμὸν undiq; profundis inciſuris cultello inciſorio factis DN. Fr. Coſmas ſuaſu meo exaſperabat: ex vulneribus ater craſſus ſanguis proliciebatur,

cumq; poſtea labia calloſa exciſione abſumſiſſet, datis poſtea inſuper aliquibus internis medicamentis poſt duas ſeptimanas ulceribus ſolidatis & livore penitꝰ diſcuſſo lætus abibat.

Observatio XCIV.

Rhevmatiſmus univerſalis.

QUantum in continuatione medicamentorum indicationibus ſuis congruorum ſitum ſit, oſtendit pluribus celeberr. Hoffm. in diſſert. de prudenti medicamentorum continuatione. Certe quamvis multa ſunt, quæ medici ſua agere volentis diligentiam infructuoſam reddunt, non facile tamen ille magis fine ſuo in ſanando ægro fruſtrabitur, quam ſi is vel nimis obſequioſus precibus ægri (qui ſanus prius varietate ciborum delectari ſolitus, ægrotus quoq; variis medicamentis in diem quin horas quaſi mutatis curari geſtit) morem gerat, vel mutabili ingenio ipſe præditus, ad quemvis ingreſſum ad infirmos aliud ſemper medicamentum præſcribat. Hinc axiomati illi, quod pauca medicum nobilitent, omninò mos gerendus eſt, ſtudendumque, ut acquiſitis generoſis remediis, id quod morbo præcipuè quadrare experimur, debitâ continuatione ſuum effectum plenè adipiſcatur. Gratulari hâc in re ſibi poterunt medici noſodochiis præfecti, imprimis vero noſocomiis ordinis A.A.R.R.F.F. Miſericordiæ præpoſiti: apud hos enim ſicut ex medici ordinarii judi-

cio

cio Pharmacopolium iis instruitur remediis, quæ maxime efficacia novit, ita tenentur etiam ægri non alia quam quæ medicus ordinavit sumere, nec medicus cogitur mollitiei decumbentium ita morem gerere, ut â salutari continuatione medicamentorum desistat. In pluribus igitur ægris apud Dnn. FF. Misericordiæ decumbentibus salutarem continuationem medicamentorum multoties expertus, eandem quoque Sartoris socio valde salubrem deprehendi. Hic ipse enim ê Marchiâ oriundus 28. ann. temperamenti sanguineo-cholerici, postquam in Prussiâ & Poloniâ salsis, muriatis, infumatisq; cibis & carnibus, tum quoque piscibus exsiccatis diu fruitus esset, olim sæpe odondalgia excruciatus, prægressâ aliquoties ebrietate, rhevmatismo ita torquebatur, ut nulli articuli essent, qui non eâdem excruciarentur, imo nec caput â dolore, nec pectus & abdomen â punctionibus liberum erat, adeoque æger instar stipitis decumbere cogebatur, cum ⊡ spissis, rubicundo-brunnis, pulsuq; forti & celeri. Dato igitur ante omnia infuso laxante c. fol. senn. & crystall. ♀ postea ex dextro brachio sanguis, vel potius mucus glutinosus extrahebatur, tali cum effectu, ut statim digitos manus dextræ parum contrahere valeret; injungebatur postea usus sequentium remediorum, nimirum primò, mane mixtur. simpl. c. ess. castor. & desuper infus. theif ex beton. veron. trifol. fibr. (2) â meridie

R ♂

℞ ♂ cyd. c. arcan. ♀. (3) noctu pulv. ex ♄ ♂, cinnab. ☽, lap. ♋. (4) emulsio ex amygd. d.c. sem. 4. frig. toto die imprimis noctu administrabatur. His efficiebatur, ut d. 8. Aug. A. 1714. susceptus æger d. 11. jam manus & pedes paulò movere valeret, ☐que hodie minus luberet; cumq; â V. S. in brachio institutâ tantopere levatus esset, non tam ad preces ipsius, quam quod robur pulsus & varicosa venarum brachii distentio repetitionem venæsectionis urgerent, eandem quoq; d. 11. in brachio sinistro instituebam, loco prioris mixturæ & pulverum, in usum hodie & sequentibus diebus adscitâ mixturâ ex essent. lumbricor. compos. Hoffm. & pulv. concinnato ex bez. ♂. succ. lap. ♋. cinnab. & ☽ emulsione & infuso theiformi non neglecto. D. 13. magnum juvamen hinc secutum, dolore maximam partem carens jam vegetè in lecto artus movebat, post efflorescentem prurientem purpuram, (quæ per aliquot sequentes dies durabat) ☐que tenuiorem & statui s. n. propriorem factam; linimento postea nervino Wed. articuli amplius roborati. Hoc facto sub continuatione prædictorum remediorum sanus, salvus & alacris d. 21. cum magnâ gratiarum actione (quæ inprimis summæ causæ Deo debeantur) quod ipsum tam cito â torturâ dolorum liberaverim, ê valetudinario egrediebatur.

F I N I S.

Med. Gen
Surg Gen
Pezold

